



14

1119

12
Q. 966

12 Feb. 5th 13

Regina
de
Castilla


Reginaldus
de
Concilio

DE CONCILIO

LIBER

41
a

REGINALDI POLI
CARDINALIS.



ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium Aldi F.

R.966(1)



41
a

DE CONCILIO

A. B. R.

REGINARDI POLI

CARDINALIS.

2



ROME, M. D. LXXII.

Apud Paulum Manucium Aldi F.



AD PIVM IIII. MEDICEM,
PONT. MAX.

IN LIBRVM REGINALDI POLI CARD.

DE CONCILIO,

PAVLI MANVTII ALDI F.

PRAEFATIO.

OPTIME consuluit Ecclesiae suae Deus, atque humano generi uniuerso, cum in tanta rerum omnium perturbatione, & extremam periculi metu, Vicarium te suum, Pie IIII. inter homines constituit, ut omnibus malis prudentia tua mederetur, nosq; a summis difficultatibus, uel impendenti potius exitio ereptos, ad summam tranquillitatem, & optatam antea magis, quam speratam felicitatem traduceret. itaque nunc, tuis adducti praestantissimis & consilijs, & factis, maxime uero tua freti iustitia, quae tibi prima, & antiquissima uirtus est, fuitque in omni uita, boni uiri ex omnibus Italiae partibus, atque etiam ex transalpinis gentibus multi, ad Urbem confluunt; &, quia tuas omnes curas eò spectare uident, non ut angustis paucorum annorum terminis tuae fructus beneficentiae definiatur, sed ut ad posteros quoque perueniat; hic sibi certam omnium rerum, ac fortunarum suarum sedem, domiciliumq; constituunt. me quidem Venetijs, domestico patris mei restituentis antiquitatis instituto, & honeste satis, & commode

A ii uiuentem

P R A E F A T I O

uiuentem, nihilq; minus, quàm de migratione, cogitantem; quippe cum ab egregijs sæpe ciuitatibus, atque adeo a superioribus Pontificibus semel & iterum optima inuitatus cōditione, nihil tamen unquam noui consilij cepissem; tui Pontificatus fama Romã facile perduxit. nam, cū ab summo uiro, Hieronymo Seripando, cui tua sapientia, debitum iam pridem eius integritati, atque doctrinæ, in Cardinalium Collegio locū tribuit, litteras accepissem, in quibus erat scriptum, cupere te, sacros omnes libros, uel hominum incuria, uel improbitate corruptos, quamemendatissimos peruulgari, uelleq; in eo opera uti, & industria mea; spatij ad deliberandum nihil sumpsi; statim rescripsi, cum tua uoluntas maximæ legis uim pro summa tua non modo potestate, uerum etiam sapientia obtinere apud omnes debeat, ita me animatum, ita paratū esse, tibi ut in omnibus rebus libenter obsequerer, susciperem, quæcunque uelles, agerem, & præstarem, quidquid possem. Quo quidem tempore nō mihi aut ulla nouorum commodorum, quibus tamen ducuntur multi, est iniecta cupiditas, aut honorum splendor mentis oculos præstrinxit: quanquam hæc ipsa cumulate & expectari a tua liberalitate posse, & omnibus præclare agentibus deferri a te solere intelligebam: sed, cum audirem, eas artes, quarum fructus immortalitas est, longo interuallo te Pontifice coli cœptas esse, suam religioni, ac ueræ pietati dignitatem restitui, cedere uirtutibus uitia, rationi amentiam, libidinem pudori, uim æquitati; hæc ego sum secutus, hæc omnibus & commodis, & honoribus anteposui. Erat præterea mihi non modo laudabile, & honestum, sed illustre etiam, & gloriosum

sum

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

sum, uocari a Pio IIII. Pontifice ad eam curam, ut sanctissimorum uirorum scriptis, quibus humano generi salutaris doctrina continetur, emendandis, edendisq; præessem. quo in munere si mihi, non dico magnos labores excipere, (quis enim bono uiro labor est pro tuenda Ecclesiæ dignitate, id est pro cõmuni salute recusandus?) sed si uitam ipsam profundere opus esset, egregie mecum actum putarem. Atque ego illam sane incredibilem capio uoluptatem, quòd, cum præclarum esse nihil constet, quin idem operosum, & perdifficile sit, hac tamen in re, omnium pulcherrima, ac præstantissima, plane omnes difficultates tua tum excellens liberalitas, tum singularis sapientia sustulit. quis enim unquam tam libenter pecunias collegit, quàm tu libenter effundis, ut exeant optimi libri, alij non dum editi, quorum documenta rectissimam ad fontem ueritatis uiam ostendunt; alij sic emendati, ne qua supersit labe, quæ imperitorum animos, obiecta falsæ doctrinæ specie, possit inficere? quo quidem antea malo nimium grauius laborauimus: utinam iis remediis, quæ parantur, omnino liceat conualescere. quod ita facile consequemur, si modo is, qui optimarum, & maximarum auctor, perfectiorq; rerum est, affuerit Deus. nam nos quidem, ut opibus ualeamus, ut acumine mentis excellamus, quàm tamen infirmi simus ad omnia, nisi præpotentis Dei ope fulciamur, quàm plane cæci, nisi eiusdem luce regamur, multorum turpissimus & miserrimus exitus ostendit. quis porro affuturum esse Deum dubitet, si sanctissimam illius doctrinam, quam præceptis declaratam plurimis, suo demum ipse sanguine, suæq; mortis exemplo comprobauit

uit

P R A E F A T I O

uit, non uerbo tantum profitebimur, sed uita etiam,
 & moribus exprimemus? Hoc tu scilicet, Pie Ponti-
 fex, illo primum uidisti die, quo te in excelsa ista sede,
 fauente & approbante diuino Spiritu, omnium Cardi-
 naliū sententia collocauit: neque uero uidisti solū,
 quod tibi fortasse cum multis commune esse potuit,
 sed etiam, in quo propria tibi debetur laus, accurate
 praestitisti. tu enim ipse tua temperantia, iustitia, gra-
 uitate, constantia, quales esse alios oporteret, exem-
 plum dedisti. inde manauit statim ad propinquos, &
 affines tuos bene uiuendi disciplina: quorum omnium
 incredibilis abstinentia, humanitas, pudor ciuitatem
 breui correxit, & conformauit uniuersam. Nunc in il-
 lam curam totus incumbis, ut reliquæ partes Ecclesiæ,
 discordia laborantes, omni a te ratione sanentur. ser-
 pit enim quotidie longius transalpinum illud malum,
 a quibusdam primo ignoratum, ab aliis postea negle-
 ctum, postremo a non nullis etiam uehementer auctū.
 sed, ut hoc placuit Deo, quo uolente, aut saltem per-
 mittente, geruntur ea, quæ cur ita fiant, causas indaga-
 re nostrū non est: sic eidē placebit, ut imminutā Chri-
 stianæ reip. dignitatem tua uirtus, & sapientia in ueterē
 integritatē, splendoremq; restituat. Instat a te indictū,
 & institutum iam generale Concilium: cuius ea ratio,
 ea uis, & consuetudo semper fuit, ut, sanctissimi Spiri-
 tus interuentu, dissidentes animos non concordia solū,
 & pace, uerum etiam beneuolentia, studioq; con-
 iungeret. Hoc tu nos, Pie IIII. remedio seruabis, er-
 rantemq; gregem, disiectum uaria culpa, tanquā Pastor
 optimus ad obedientiam reuocabis, continebisq; in
 officio, & obseruantia erga diuinas leges tum perpetua
sanctitate

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

sanctitate tua, unde hauriunt omnes exempla omnium uirtutum, tum uero iis etiam edendis in hac urbe libris, quorum lectio malas & exitiosas euellit ex animis hominum opiniones, inserit eas, quæ si coluntur pietate, & beneficentia, uberrimos, & præstantissimos, & plane salutare fructus ferunt. Atque huius quidem tanti, ac tam præclari muneris initium unde sumi aptius potuit, quàm ab eo libro, cuius argumentum & cum ratione temporum, & cū tuis consiliis ac studiis optime congruit? quid enim tempora, quid status Ecclesiæ poscit, quid tu optas, curas ue magis, quàm Concilium, quod unicum, & certissimum in tam graui discrimine, tam propinqua communi peste superesse remedium uidetur? at in hoc libro, quem tuo iussu primum emittimus, proxima ostenditur ad salutem uia, spes omnis in confessione culpæ, in uitæ ac morum emendatione, in summa demum Pontificis auctoritate collocatur. Quæ cum per se maxima sunt, & curandis Christianæ reip. uulneribus utilissima: tum uero ponderis accedit plurimum ab eximia scriptoris innocentia, doctrina, dignitate. quis enim, quibus animi bonis, quibus industriæ, ingeniiq; ornamentis abundauerit, qui denique uir, quantusq; fuerit Reginaldus Polus, aut ignorat, aut, si quam modo tantarum laudum partem habet cognitam, non earum memoria, & desiderio uehementer commouetur? potest ne quisquã tam inops a iudicio, tam auersus ab humanitate, tam plane ferus esse, ac ferreus, qui non intimis eum sensibus dilexerit, cuius non modo in studiis, in moribus, in sermonibus, sed in ipso plane aspectu omnis probitas, omnis luceret humanitas? De religione uero,
deq;

P R A E F A T I O

deq; Christiani hominis officio quid senserit, & iudicarit, non aut in uno, altero ue libro ita ostendit, ut in aliis unquam dissenserit: aut ita scripsit, ut aliter ueretur: aut ita uixit, ut interdum sibi non constaret: sed omnia, litteris ab illo prodita, sine ulla exceptione semper laudarunt, hodieq; laudant boni & sapientes uiri, quorum directa ad ueritatem ipsam, id est ad unam Dei gloriam sententia nec obtrectandi studio, aut inuidia flectitur, nec maleuolentia, aut ambitione mutatur. Vitæ uero totius instituta, & excellentem in omni actione, omniq; fortuna pietatem, utinam, quàm facile nouerunt, tam libenter imitarentur multi. Opes, honores, clientelas, Regum maximorum gratiam, & beneuolentiam qui assequuntur, proxime ad felicitatem putantur accedere. at ille, hæc omnia apud Henricum, Britanniae Regem, & iure propinquitatis, & multo etiam magis sua uirtute cum possideret, ultro contempsit, ne turpissimas Regis actiones, & aduersantem Christi Vicario sententiam probare, aut etiam adiuuare cogeretur. Patauii diu uixit, quanquã erat habitu naturæ prope diuino, liberalibus tamen disciplinis uehementer deditus: &, cum eloquentiæ, atque philosophiæ pari studio flagrauerit, in utra tamen magis enituerit, non facile est existimare. illud certe constat, qui uel meliora, uel ornatiore scriberet, hac hominum memoria extitisse neminem. quanquam id ei propositum fuit, eò direxit cogitationes omnes, atque curas, ut philosophiæ scientiam non tam scriptis, quàm uita ostenderet. itaque maior, atque excelsior Patauii in tenui, & humili fortuna fuit, quàm cū in regno omnibus copiis, & ipsius maxime Regis gratia floureret. Hic,
hic

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

hic nimirum uerus est, ac præstantissimus optimorum studiorum fructus, si quis a se ipso pendeat, si temporum uicissitudines non extimescat, si aduersus hominum iniquitates, fortunæq; iniurias ratione, & uirtute pugnet. quam in Polo constantiam, & sapientiam fuisse, quis ignorat? metuendæ erant a Rege potentissimo insidiæ, metuenda uis; propterea quòd, suscepta Ecclesiæ causa luculento illo de Pontificis auctoritate libro, susceptum simula se grauissimum eius odium intelligebat. deserebatur etiam quotidie magis a re domestica, fortunis exclusus amplissimis. nemo tamen eum deiecto, aut demisso sensit esse animo, nemo uidit unquam tristiore uultu. in sermonibus, in consuetudine, in conuictu, in tota denique uitæ ratione tranquillitatem mentis, quam habuerat antea, perpetuo retinuit. Nec defuere, quæ nunquam sperauerat, ac ne cogitauerat quidem, tantis debita uirtutibus præmia. nam cum ita uiueret, ut in uno Deo omnia poneret, cetera, quæ mortales admirantur, infirma, caduca, inania duceret; cumq; in illa Patauini gymnasii celebritate, domesticis otii sui finibus contentus, paucorum admodum consuetudine uteretur: breui tamẽ, ut sibi uiam facile uirtus aperit, ita manauit fama de admirabili eius prudentia, temperantia, doctrina, ut ad aures Pauli III. Pont. Max. peruenerit. qui cum esset ea mente præditus, ut nemo unquam magis de ornanda egregiis Cardinalibus Ecclesia cogitauerit; eo iudicio, ut nemo in delectu errauerit minus; commotus multorum non dubio sermone, Reginaldum Polum, disciplinæ Christianæ renouandæ causa, cum præstantibus aliquot uiris ad Urbem acciuit; eumq; paulo

B post

P R A E F A T I O

post, non petentem, non optantem, prope etiam recusantem, Cardinalem creauit. In hac dignitate, cum alios antea, se ipsum uicit omni genere laudis. Omitto singularem illam, cui par oratio reperiri nulla potest, in cæde matris acerbissima fortitudinem, atque constantiam. unicum illi contra omnes iniurias, omnesq. calamitates conscientia præsidium fuit: & in aduersis rebus iam antea didicerat esse fortis. grauitatem eximiam, pari comitate conditam, mansuetudinem, prudentiam, benignitatem in subleuanda miserorum inopia non attingo. communia sint hæc, in quibus tamen præcipua quadam laude Polus excelluit. uenio ad id, quod a Cardinalis persona proprie postulatur. Nã, ubi primum sacerdotio est ornatus amplissimo, non ille mentem, ut multi, cum fortuna mutauit; non fericam uestem, non argenteam supellectilem, non denique illustrem aliquam, aut opimam prouinciæ præfecturam appetiuit; sed, contempta prorsus rerum humanarum specie, diuina studia, quæ antea non leuiter attigerat, toto pectore complexus, de tuenda Pontificii iuris maiestate, de augenda inter homines Dei gloria, de illustranda ueritate dies noctesq; cogitare cœpit. quantum enim in ea philosophia, quæ a sensibus ducitur, erroris insit, atque obscuritatis, cum antea nõ ignorasset, tum uero, totus ad eam philosophiam tractus, quæ cælestium bonorum cognitionem parit, clarissime perspexit. iam, illam, quæ colligitur ex rectorum præceptis, eloquentiam, in qua præter ceteros antea floruerat, neglexit penitus, inanemq. duxit, cum sacrorum librorum uoces, non aurium uoluptati feruientes, sed ad intimas animorum partes incredibili quadam

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

quadam suauitate penetrantes, exaudiuit attentius. Nec uero quidquam habuit antiquius, quàm ut a sanctissimis Ecclesiæ legibus discedentes, quoquo modo ad sanitatem redirent: cum ipse multos cohortatione sua, consilio, doctrina, non nullos etiam lenitate quadã ad meliora consilia conuerteret. Incidit tempus, cum de sufficiendo post obitum Pauli III. Pontifice habenda Cardinalibus deliberatio esset. affuit Polus ita sedato animo, ita cupiditatis, & ambitionis expers, ut, maiore Collegii parte Pontificatum ad eum deferente, non statim assenserit, differendamq; rem tantam in posterum diem censuerit: fore enim, si probaret Deus, eundem post aliquot horas Cardinalium consensum: sin minus, omnino sibi, quod Deo displiceret, placere nihil posse. Scripsit etiam in eo Conclauis præclara quædam de officio Pontificis: quæ cum aliis eius libris, quos Ioannes Moronus, Cardinalis ob summa erga Sedem Apostolicam merita, perpetuamq; uitæ innocentiam clarissimus, accurate seruauit, propediem in lucem proferentur. quibus in libris cū spirare adhuc mens illa diuini hominis, & uigere uideatur; afficimur non tam præceptis, atque doctrina, quàm recordatione tantarum uirtutum, quas in illo uidimus. Vitæ clausula fuit, in qua ostendit lumen animi, ingeniiq; sui, Britannica Legatio. nam cum in illa insula per annos multos, duorum Regum imperio, Henrici primum, deinde Odoardi, eius filii, legitimus Dei cultus, intermissis optimis ritibus, obsoleuisset; cumq; interitus Odoardi, succedente eius sorore Maria, spem aliquam reuocandæ pietatis, & religionis attulisset; uisa est unius maxime Poli sapientia rectam errantibus uiam monstrare posse,

B ii adiuncta

P R A E F A T I O

adiuncta praesertim auctoritate tanta, quantam nec sine uirtute dignitas ulla pareret, nec sine dignitate uirtus. in ea legatione optimos Reginae sensus confirmauit: principibus uiris, & multitudini persuasit, ut nouam haeresim, Henrici nefaria libidine inductam, abicerent, ueterem sacrorum disciplinam, rationemque susciperent; cum Ecclesia, si salui esse uellent, in gratiam redirent: unum esse Romae, potestate summa, Christi Vicarium, in quo creando commota Spiritu sancto Cardinalium mentes, ex uetere multorum saeculorum instituto, tradita per manus consuetudine, consentirent: quaecunque ille sanciret in terris, ea firma & rata in caelo esse: cetera communi saluti uehementer aduersari, hominum seditiosorum, uel Satanæ potius ipsius inuenta, ut genus humanum, si possit, uniuersum perdat, suaeque socios habeat plurimos infelicitatis, & culpæ. Mansit in officio, & fide, quam diu Polus, & Regina uixerunt, Britannica natio, utriusque innocentia, & sanctitate, alterius etiam sermonibus, præceptisque commota. Postea, cum utrunque Deus, cuius abdita consilia non assequitur humana mens, ad caelestis uitæ præmia uocasset; lapsa est iterum, & concidit illa gens, destituta consiliis, quibus antea nitebatur. iamque ad finitimas nationes peruasit hæc pestis, & dira contagio, nec uideretur posse consistere, nisi tua, Pie III. Pont. Max. sapientia singularis occurreret, Tridenti indicto Concilio, Romæ omnibus rebus ad rationem, æquitatemque reuocatis. Quòd uero etiam eorum scripta, quos in beatorum numerum iure olim Ecclesia retulit, integra, deletis omnibus maculis, peruulgari iubes: quòd excellentem nobis Reginaldi Poli, amissa eius uoce

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

uoce, doctrinam restituis: mirum est, quàm uehementer adiuues communem causam, quantum se tibi pro ista mente, istaq; cura omnes homines debere fateantur, quantam ab ipso Deo, qui tibi nostram salutem commisit, gratiam, & beneuolentiam in eas. Hæc sunt illa merita, quibus hominum uita, breuissimis circumscripta finibus, ad infinitam memoriam propagatur: hæc illa, nunquam satis laudata, ueterum Pontificum instituta, quibus hanc nobis Ecclesiam tam præclare fundatam, exstructamq; reliquerunt. quæ utinam, sicuti propria tua sunt, ita perpetua esse possent. nemo enim dubitat, quin, optare tibi perpetuam uitam, idē sit optare nobis perpetuam felicitatem. nec uero cuiquam bono uiro tanti est huiusce lucis usura, quin de sua detractum aliquid uita libenter, si possit, in tuam conferat. sed quoniam hac lege huc omnes ingredi-mur, ut aliquando discedamus; nec licet nobis in te uno singularem conditionem pro tua singulari beneficia postulare: saltem, ut quamdiutissime te præsen-te perfruamur, & petimus a Deo supplices, & futu-rum pro summa eius erga nos clementia confidimus. magna enim sunt, quæ iam inchoasti: maiora tamen, quæ mente designas. nihil uulgare cogitas, nihil hu-mile, nihil angustum: metiris omnia tua dignitate po-tius, quàm communibus exemplis. præclare. non enim Pontificiæ laudes in mediocritate uersantur: nec decet, qui potestate, & honore cunctis hominibus an-tecellat, eum ab ullo homine recte agendi cupiditate, studioq; superari. In te igitur, Pontifex Max. primum tuendæ, atque amplificandæ religionis, deinde eius otii conseruandi, cuius auctor & custos antea fuisti,

fita

P R A E F A T I O

sita spes omnis est. a te honesta studia, a te liberales di-
sciplinæ, a te ipsa uirtus ornamenta sua repetit. tu,
quod facis, & fecisti egregie, perpetuo facies, ut om-
nes gentes diuturna pace, iustitia, pietate foueas; ur-
bem Romam operibus magnificentissimis, & cum ipsa
antiquitate comparandis, exornes; ciuitatem, tui stu-
diosissimam, superiorum temporum calamitatibus af-
flictam, perpetua benignitate recrees; denique tollas
aliquando ex imperitorum animis dubitationem il-
lam, quæ laudabilia multorum studia remoratur, utrū
res maximas fortuna possit sine uirtute perficere, an
uirtus, quò contendat, sine fortuna peruenire. de quo
quid sentires ipse, ostendit iam pridem tuæ uitæ ratio:
nunc, ut omnes idem sentiant, facile unus præstare
potes, restituta iis artibus dignitate, quæ te talem,
tantumq; fecerunt, ut, quales ipse, quantaq; essent,
ope tua studioq; omnes mortales intelligerent.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

REVERENDISS. ET ILL. I
Io. Mariæ Card. de Monte, & Marcello
Card. S. Crucis, Tridentini Concilii
Legatis, Reginaldus Polus Card.
S. P. D.

VM negotii ipsius grauitas, & magnitu-
C do, cuius mihi uobiscum onus est commu-
ne, me crebro admoneret, ut accuratius de
eo cogitarem, & quo firmiter in mente inhærent cogi-
gitata, ea litteris mandarem: tum uero coniunctio-
nis nostræ ratio in eodem Legationis munere, ut nihil
uos in causa communi, quod quoquo modo ad eius
explicationem pertineret, calarem, uerum omnia uo-
biscum communicarem, facile me adduxit. itaque cū
in urbe primum, ubi me post discessum uestrū summi
Pontificis benignitas mensum integrū retinuit, quòd
rationibus meis ita conducere arbitrabatur, uacatione
ab omnibus publicis muneribus utens, me totum
huic cogitationi dedissem; plura autem in mentem
uenirēt magna animaduersione digna, & cognitu per-
necessaria; ea quidem omnia, quasi in capita quædam
collecta, & per quæstiones distincta, ad uos mittere
statui; non quidem ut opus a me perfectum, in tanta
præsertim re, haberetis; (nec enim id aut temporis
breuitas patiebatur; aut, etiam si plus spatii essem na-
ctus, tamen, opus ipsum aggrediens, cum mihi con-
scius essem tenuis meæ in tali causa scribēdi facultatis,
id unquam me præstaturum sperare ausus fuisset) ue-
rum, ut testimonium meæ uoluntatis haberetis, cu-
pientis quidem maxime S. D. N. qui me uobis duo-
C bus

bus, præstantibus doctrina & pietate uiris, licet indignum, collegam tamen dedit, in tam præclara causa pro mea facultate, qualiscunque ea sit, inferuire. hoc sane potissimum in iis, quæ nunc ad uos mitto, scribendis spectauit. Nec uero, quin ea uobis locupletissimum huius rei testimonium datura sint, dubito, in quibus ipsum conatum meum uidebitis, opus uero tale, quale in omnibus maioribus ædificiis architectorum esse solet, cum aliorum iudicio, a quibus illorum ars requiritur, satisfacere student. formam enim totius futuri ædificii primum describunt: quod sane non opus, sed adumbratio potius operis appellatur. licet autem ipse non architectus sim, nec uero dignus, qui uel lapides feram ad tam magnificam fabricam, qualem nunc in animo habet summus templi Sacerdos instaurare; tamen uocatus ad Concilium, in quo de magnificentissimi templi instauracione deliberatur, (huc enim me una uobiscum uocat ipsum Legationis munus) hac quidem in parte architectos templorum imitari studui, ut formam ipsam primum quasi atramento deliniatam in medium afferrem, iudicio uestro subiiciendam. Nec tamen in his, quæ ad uos mitto, eò sum progressus, ut tam augusti templi totam formam ante oculos ponerem: uerum, si uel uestibulum ipsum uerbis adumbraro, satis quidem magnum fructum ex hoc meo labore tulero. hoc uero quale sit, & quod ipse sentiam, ex iis, quæ scripsi, ut spero, facile intelligetis. Genus autem scribendi, quod in percunctando, & respondendo est positum, ideo libentius sum secutus, quòd & ad breuitatem esset aptius, cui in primis studebam; & quòd idem
cum

cum iudicandi de omnibus, tum uero admonendi, & corrigendi maiorem, & magis expeditam facultatem uobis daturum arbitrarer. quod ut faciatis, in primis a uestra pietate, ac doctrina & postulo, & expecto. Ac, ne diutius uos morer, prima erit quæstio illa, quæ ad officii nostri in tam amplo munere, quod nobis in Concilio generali, ut Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ Legatis, imponitur, explicationem pertinet. Sic ergo primum quæritur.

QVAESTIO PRIMA.

QVAENAM sunt Legatorum Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ in Conciliis generalibus partes?

RESPONSIO

PRIMUM quidē, ut generatim dicamus, quæ omnibus Legatis sunt communes a quocunque, & ad quoscunque mittantur; nempe, ut optima fide exponant, quæ in mandatis habent ad eos, ad quos mittuntur: præterea, ut, quæ peragenda sunt, pari fide, ac diligentia persequantur. Quia uero Legati Romani Pontificis ad Concilium generale hoc in primis mandatis habent, ut illius personam in Concilio gerant; hoc primum, erit eorum officii, & muneris, præstare, nihil ut indignum illa persona uel dicant, uel faciant: deinde, ut omnia digna tam uerbis, quàm factis, quantum in ipsis erit, agant. Sic quidem generatim ad propositam quæstionem responderi potest. quæ ut distinctius, & explicatius intelligantur, primum explicare oportet, quænam sint Romani Pontificis in Conciliis partes, & quam is personam gerat.

C ii deinde

deinde, cum ii, qui a Romano Pontifice ad Concilium mittuntur, non tantum illius Legati dicantur, uerum etiam Sedis Apostolicæ; secundo loco erit declarandum, quam uim habeat adiunctum nomen Sedis Apostolicæ, num quid addat ad officium Legatorum Romani Pontificis, uel quo modo se habeat. Tertio loco, ut recte omnia, quæ ad hanc quæstionem explicandam pertinent, intelligantur, cum ipsi Legati ad Concilium generale mittantur; dicendum erit, quodnam sit hoc Concilium, quod generale appellamus, ex quo hominum genere constet, quam materiam subiectam habeat; quem denique scopum, quem finem sibi proponere debeant ii, qui in eiusmodi Conciliis auctoritate uel præfunt, uel interfunt. Atque hæc quidem, quæ ultimo loco a me sunt proposita, ut suo ordine omnia distinctius tractentur, primo quærenda uidentur, atque examinanda.

Q V A E S T I O S E C U N D A.

E X quo genere hominum conflatum est Conciliū, quod uocatur generale?

R E S P O N S I O.

E X eo quidem, quod in unius fidei in Iesum Christum, filium Dei uiui, consensum coit. hoc uero illud genus hominum est, quod neque ex natione, neque ex lingua cognosci, aut nominari potest, ut pote quod nullū definitum locum, nullam linguam certā habeat. sunt enim ex omni natione, ex omni lingua, atque ex omni loco congregati in unā fidem; omnesq; simul populus Dei uocantur, quos ipse Christus uno nomine Ecclesiam appellat, cum ei, qui primus professus est hanc fidē, ac
primus

Matth. 16.

primus fuit, qui confiteretur eum esse Christum, filium Dei uiui, dixit: Et ego dico tibi, tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Qui ergo super hanc petram fidei, quam Petrus, tanquam prima petra in fundamento posita, est professus, sunt fundati, hos Ecclesiam suam Christus hoc loco appellat; cuius partes ut unius corporis membra dicuntur, quicumque eandem fidem profitentes, eorundem sacramentorum communionem sunt colligati. conuentus igitur huius generis hominum consultandi causa factus, de iis, quæ ad omnium & singulorum salutem, & statum coram Deo, & hominibus pertinent, Concilium generale, ut more loquendi Ecclesiæ utamur, appellatur.

QVAESTIO TERTIA.

NVM satis est, ut, quis sit pars huius Ecclesiæ, uel Concilii, quod fide in Iesum Christum, filium Dei uiui, est congregatum, si ea fide sit præditus, qua creditur, magnum fuisse Prophetam Iesum?

RESPONSIO.

MINIME quidem satis. ut enim, qui Deum blasphemantes, Christum seductorem dicunt, quod faciunt Iudæi, a societate huius Ecclesiæ excluduntur: sic etiam, qui Christum sanctum uirum, uel Prophetam magnum, confitentur, at non Deum, in fundamento huius Ecclesiæ hæere non possunt, quæ non est fundata super arenam. ita uero esset, si super fidem in Christum, duntaxat hominem, quamuis sanctum, fundata esset, sed super firmam petram, id est super fidem in Christum
Deum,

R E G. P O L I

Deum, & hominem, cuius fundamentum deficere non potest. hoc quia non credunt Turcæ, qui tantummodo prophetam magnum Christum fuisse confitentur, ideo a fundamento exciderunt, in quo soli illi sunt fundati, qui in Iesum Christum, Deum, & hominem, credunt. & qui ita credunt, pars Ecclesiæ, & illius membra dici possunt. ex hoc autem numero sunt, qui corpus ipsum Concilii efficiunt.

QVAESTIO QVARTA.

NVM omnes, qui ad corpus Ecclesiæ pertinent, Concilii generalis membra, uel partes erunt?

R E S P O N S I O .

MINIME id quidē. ad corpus enim Ecclesiæ pertinent omnes, & singuli, quotquot in una fide in Iesum Christum, filium Dei, consentiunt. hi uero, quia numero sic creuerunt, ut tanquam arena, quæ est in littore maris, cui eos scriptura comparare solet, dici possint, nec conuenire quidem in unum locum, nec uocari propter multitudinem possunt. utrunque autem ut fiat, Concilium generale est necessarium, & ut uocentur, qui in eo sententias sunt dicturi, & ut ad certum locum uocentur, ob idq; uocentur, ut consilia conferant, & sententias dicant de iis, quæ ad totius populi Dei, & singulorum salutem in Ecclesia pertinent. quod sane in tam infinita multitudine nec fieri potest, nec debet.

QVAESTIO QVINTA.

AN, si omnia in Conciliis ad utilitatem Ecclesiæ referantur, quæ constat ex uniuerso populo Dei, nullæ erunt
ipfius

Osee. 1.
Psal. 138.
Rom. 4.

ipsius populi partes in decernendo , in prohibendo ,
uel iubendo ea , quæ ipsius causa in deliberationem
uocantur ?

R E S P O N S I O .

N V L L A E fane.nec.n. status Ecclesiæ est status popula-
ris , in quo populi suffragiis , quæ ad rem populi perti-
nēt, uel iubentur, uel uetantur . quanquã nomē ipsum
Ecclesiæ id uidetur significare : quasi diceret , concio-
nem , uel conuentum populi . sic enim apud Græcos,
quorum linguæ proprium est hoc uerbum , suos illos
conuentus in iis ciuitatibus , in quibus ius imperandi
penes populum fuit , Ecclesias appellatas legimus . at
spiritus Dei in Scripturis loquens , cum populum Dei
Ecclesiam appellat , non hoc nomine designat , quasi
concionem populi , qui ius habeat imperandi , sed
conuentum eius populi , qui gratiam habeat parendi .
sic Apostolus Paulus , cum summã Apostolatus sui , &
Legationis ad gentes explicat , dicit eam fuisse , ut ipsi,
fidem gentibus prædicanti , obediretur . & ad He-
bræos , qui cum nouo gentilium populo per fidē erant
coniuncti , ac pars Ecclesiæ facti , ita scribit : Obedite
præpositis uestris , & subiacete illis . ipsi enim peruigi-
lant , quasi rationem pro animabus uestris reddituri .
Quanquam quidem nomen Ecclesiæ Christi , more
loquendi usitato ipsius Ecclesiæ , non solum multitu-
dinem fidelium , quasi gregem , complecti uidetur ,
sed ipsius etiam multitudinis duces , & pastores , qui
omnes simul unum populum , & gregem efficiunt sub
uno duce , & pastore Christo . si uero de populo separa-
tim loqui uolumus , & de eius in hac Ecclesia auctori-
tate ,

Num. 20.
1. Par. 29.
Psal. 21.
1. Cor. 14.

Rom. 1.
2. Theff. 3.

Hebr. 13.

Matth. 18.

tate, ea quidem eiusmodi est, non ut ipse aliquid statuat, iubeat, aut uetet, ut in populari statu fieri solet, sed prorsus ut iussis eorum obtemperet, qui ad ipsum pascendum, tanquam pastores ad gregem, uerbis Domini sunt missi. Atque hi sunt, qui corpus ipsum Concilii generalis, in quo de salute totius gregis confulitur, efficiunt.

Q V A E S T I O S E X T A.

A N, si penes rectores, & pastores populi Dei ius omne statuendi, uetandi, & iubendi in omnibus Conciliis erit, populi autem duntaxat parendi, paucorum dominatum Ecclesiae statum dicemus, quem Græci *ὀλιγαρχίαν* appellant, in quo pauci dominantur, multitudine illorum imperio subiecta?

R E S P O N S I O.

Matth. 10. **A B S I T.** Principes enim gentium dominantur eorum, uos autem non sic, inquit ipse Princeps pastorum ad pastores a se delectos. Est uero status Ecclesiae, unius Principis status, quem Græci *μοναρχίαν* uocant; nec tamen unius hominis imperantis, quales sunt monarchiae ab hominibus institutæ; sed unius Dei, & hominis, qui est Christus, Dominus omnium nostrum, quem Deus pater posuit caput super omnem Ecclesiam, in qua ipse rectores, & pastores posuit, qui eam regerent, & pascerent nomine eius, non suo ipsorum, ut in oligarchia humana fit, atque etiam in regio statu. horum autem conuentus in unum certum locum cōsultandi causa pro re populi Dei, & totius Ecclesiae, Concilium generale dicitur.

Eph. 1.

Quæstio

REG. POLI

Eph. 4.

cet, cum Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, deditq; dona hominibus per Spiritum sanctum.

QVAESTIO NONA.

Num. 20.

1. Reg. 17.

QUID appellas effusionem Spiritus sancti? an non etiam super populum Iudæorum ante Christi aduentum effusus est Spiritus sanctus? an non eorum Concilia, quæ tum ad uniuersum populum Dei pertinebant, qui etiam Ecclesia appellabatur, cuius nominis honorem illa sola natio ante Christi aduentum obtinebat, generalia dici possunt?

RESPONSIO.

MINIME fane, idq; ob hanc causam, quia nondum facta erat effusio Spiritus sancti, quam tum fieri intelligo, non cum se impertit per gratiam alicui populo, sed cum adeo plene se effundit, ut nihil, quod ad sanctificationem illius populi peragendum pertineat, in occulto Ecclesiæ relinquat. ante Christum enim omnia fere, quæ ad sanctificationem pertinebant, sub uelamine legis latebant, quæ umbra erat futurorum. in Christi uero morte, scisso uelamine Templi, simul etiam umbra legis sublata est, & uia sanctorum, fidei doctrina propalata, facta est perfecta sanctificatio, omniaq; promissa Dei ad populum per uniuersum orbem sparsum, quæ prius latebant, illustrata sunt, atque expleta: itaque dicere possumus, tum demum Spiritum sanctum effusum esse, cum omnia sua consilia de populi sui salute Deus per Spiritum suum Ecclesiæ reuelauit: sicut inquit Apostolus in ea oratione, quam
ad

ad presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ, ab illis discessurus, habuit: Omne Dei consilium notum feci uobis. Et, ad Corinthios scribens, gratulatur, ita eos repletos esse omni scientia, ut nihil eis desit expectantibus reuelationem Iesu Christi. Iudæis autem multa defuerunt, reuelanda postea per Spiritum. Quin etiam Apostolos ipsos multo ante ascensum Christi latuere, quæ eis per Spiritum sanctum aperienda erant, quem Christus, postquam ascendit in cælum, misit, abundeque in eos effudit: per quem plene Dei uoluntatem de suo populo per orbem sparsa cognouerunt, quo modo is scilicet in omnibus ad honorem Dei, & propriam sanctificationem regi deberet. ideo tum primum coeperunt Concilia generalia fieri, quæ non solum præsentia Spiritus, qui ne ueteri quidem populo abfuit, sed eiusdem quoque effusio super omnem carnem fecit. ante uero hoc tempus, quia Spiritus Dei sanctificans, in uno populo coarctabatur, ac ne in illum quidem suam uim satis effundens; ideo illorum conuentus minime Concilia generalia dici potuerunt: nec uero ille populus propriæ Ecclesiæ nomen obtinere, sed potius Synagogæ. Apud gentes etiam, quia suo illæ spiritu se regebant prorsus humano, nullum Concilium generale dici potest coactum fuisse, etsi olim in unum locum uniuersum hominum genus conuenisse Scriptura tradat.

Act. 20.

1. cor. 1.

QVÆSTIO X.

AN unquam conuenit, uniuersum hominum genus in unum locum ad Concilium uocatum? an locus tantæ multitudinis capax? an modus inueniebatur, quo uocari omnes possent?

D ii Respon-

Gen. 10.

SIC prorsus . conuenerunt enim in campū in terra Sen-
nar , tum quidem satis capacē uniuersi generis , quod
nondum se in tantam multitudinem profuderat, quan-
tam posterior ætas uidit . uocati autem sunt ab ipsis in
ter se , cū dixit alter alteri, unusquisque proximo suo ;
Venite , faciamus nobis ciuitatem , & turrim , cuius
culmen pertingat ad cælum : & celebremus nomen
nostrū , ante quàm diuidamur in terras. Hoc enim fuit
decretum illius Concilii , quod Deus una cum ipso
Concilio dissipauit , confundens linguas , & diuidens
eos in uniuersam terrā. quanquam Deus quidem tum
opus eorum magis dissipauit , quàm Concilium. licet
enim propter confusionem linguarum ab opere desti-
terint : illius tamen Concilii decretum in animis homi-
num ante effusionem Spiritus sancti nunquam est ab-
rogatum. quod enim tum dicebat unusquisque proxi-
mo suo , Venite , celebremus nomen nostrum , &c.
hoc unusquisque adhuc , ex Spiritu sancto non rena-
tus , & sibi ipse , & aliis dicit in omnibus consiliis ; na-
ctusq; huius decreti obseruandi facultatem, nunquam
id quidem non exequitur . est enim decretum uniuers-
si generis humani , ex quo nata sunt omnia mundi re-
gna : quibus regnum Christi se opponit, eaque euer-
tit : atque ob hanc causam instituta sunt Concilia ge-
neralia Ecclesiæ Christi , ut hæc ipsa gentium Concilia
disturbentur : quod quidem effici non potest , nisi per
Spiritum sanctum : itaque ex more loquendi Ecclesiæ
Christi constat , non satis esse , quo fiat Concilium ge-
nerale , ut omnes simul gentes in unum locum conue-
niant , sed necesse esse , ut , Spiritu sancto uocante ,
conue-

conueniant , ipsoq; dictante , atque omnes actiones dirigente , consilia conferant , & ex præscripto illius decreta faciant .

QVAESTIO XI.

QVID est , quòd more loquendi Ecclesiæ dicimus in Spiritu sancto indictum Concilium ? quo ue argumento eiusmodi Concilium dignoscitur ?

RESPONSIO.

HOC quidem maxime , cum in eo cogendo is , qui eius rei ius obtinet , solum Dei in Christo honorem spectat , & salutem non unius uel hominis , uel populi , uel nationis , sed omnium simul , quicumque Christi fidem per orbem utcunque dispersi profitentur . tale enim Concilium generale , legitimum , atque in Spiritu sancto indictum esse dicimus . quòd si unius alicuius hominis honor respicitur , uel plurium , etiam si uniuersi generis honor respicitur , ut Concilium illud Babylonium respexit ; uel utilitas , si fieri possit , secluso Dei honore : hac in parte est Concilium humani Spiritus , & , quidquid per hunc Spiritum statuitur , contrarium est decretis Conciliorum generalium Ecclesiæ Christi , quæ illud in primis sibi propositum habent , ut impia huiusmodi decreta abrogent , & aboleant .

QVAESTIO XII.

AN satis est , ut fiant Concilia generalia in Spiritu sancto , si quouis modo respiciatur ad honorem Dei ?

Responsio

R E G. P O L I

R E S P O N S I O .

MINIME quidem satis . hoc enim quodam modo fecerunt Iudæi in suis Synagogis : respiciebant enim ad honorem , & uoluntatem Dei , ostensam in lege , & in promissionibus . sed nunc Spiritus ille , qui se effudit super omnem carnem , & qui præest Conciliis generalibus , transcendit legem , & respicit honorem Dei in Christo , & salutem , ac sanctificationem populi , non in legis littera , sed in ipso Christo exhibitam , & per Christū in lege promissam , & ostensam , atque impletā .

Q V A E S T I O X I I I .

QVID ergo tractant Concilia generalia ?

R E S P O N S I O .

I N summa quidem tractant ea , quæ pertinent ad honorem Dei in Christo , & ad salutem populi in eodem Christo : hæc uero tractant , cum fidem in ipsum Christum , filium Dei uiui , explicant , & confirmant , cum caritatem ordinant : ut dixit sponsa , Ordinauit in me caritatem . Hæc autem satis in genere sint dicta , ut intelligatur , quid nomine Conciliorum generalium in Ecclesia Christi significetur , quam uim , & quem scopum habeant . quæ omnia tum clarius intelligentur , cum magis ad ipsa decreta Conciliorum explicanda descenderimus . quod tum faciemus , ubi non nulla , quæ ad personas pertinent eorum , qui præsunt , & interfunt in eiusmodi Conciliis , explicauerimus .

Cant. 2.

Q V A E S T I O X I I I I .

QVAENAM sunt partes Romani Pontificis in Conciliis generalibus ?

Respon-

RESPONSIO.

VICARIAE Christi partes, quatenus Christi, Principis pastorum, & Episcopi animarum nostrarum, quo nomine eum diuus Petrus appellat, personam gerit.

QVAESTIO XV.

QVAENAM sunt Christi partes, quatenus eiusmodi personam gerit?

RESPONSIO.

EAEDEM, quæ Dei patris, pastoris personam sibi summentis in medio ouium dissipatarum, ut inquit Ezechiel Propheta.

Ezech. 34.

QVAESTIO XVI.

QVAE tandem sunt hæc Dei partes?

RESPONSIO.

NEMPE illæ, quas Propheta exponit his uerbis, cum ait sub persona Dei, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semet ipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit ultra eis in escam: quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas, sicut uisitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. sic uisitabo oues meas; & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis; & educam eas de populis; & congregabo eas de terris; & inducam eas in terram suam; & pascam eas in montibus Israel, in riuibus, & in cunctis sedibus terræ:

terræ : in pascuis uberrimis pascam eas , & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum : ibi requiescent in herbis uirentibus , & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel . Ego pascam oues meas , & ego eas accubare faciam , dicit Dominus Deus : quod perierat , requiram : & , quod abiectum erat , reducam : & , quod confractum fuerat , alligabo : & , quod infirmum fuerat , consolidabo : & , quod pingue , & forte , custodiam : & pascam illas in iudicio &c .

QVAESTIO XVII.

QVODNAM genus pascendi intelligit hoc loco Propheta ?

RESPONSIO.

DVPLEX genus , alterum , quod pertinet ad pabulum salutare præbendum , & est opus miserentis pastoris ; alterum , quod uersatur in iudicio , & absoluit , uel condemnat . Ac de priore quidem sic ait Esaias : Misericors eorum reget eos , & ad fontes aquarum potabit eos . Hoc autem genus statim sequitur accubatio gregis , quam Deus etiam promittit , cum dicit , Pascam oues meas , & eas accubare faciam .

Esai . 49 .

QVAESTIO XVIII.

QVO tandem modo hoc fit , & quando ?

RESPONSIO.

CVM singuli ex grege in suum locum , & ordinem ducuntur , ut significant uerba illa Prophetæ , in persona Dei pastoris prolata : Quod abiectum perierat , requiram :

ram : & , quod abiectum erat, reducam : & , quod con-
 fractum fuerat, alligabo : & , quod infirmum erat, con-
 solidabo : & , quod pingue , & forte est , custodiam.
 Hæc enim omnia sunt opera pastoris misericordis : quæ
 qui perturbant , non statim quidem relinquuntur a pa-
 store , sed castigantur ad ipsorum salutem . atque hos
 Deus dicit se pascere in iudicio .

Q V A E S T I O X I X .

Q V I D est , pascere in iudicio ?

R E S P O N S I O .

D E C L A R A N T hoc Prophetæ uerba , quæ sequun-
 tur : Ecce ego iudico inter pecus , & pecus , arietum,
 & hircorum . non ne satis uobis erat , pascua bona de-
 pasci ? insuper & reliquias pascuarum conculcastis pe-
 dibus uestris : & , cum purissimam aquam biberetis, re-
 liquam pedibus turbabatis : & oues meæ iis , quæ con-
 culcata pedibus uestris fuerant , pascebantur : & , quæ
 pedes uestri turbauerant , hæc bibebant . Propterea
 hæc dicit Dominus Deus ad uos : Ecce ego ipse iudi-
 co inter pecus pingue , & macilentum , pro eo quòd
 lateribus impingebatis , & cornibus uestris uentilaba-
 tis omnia infirma pecora . saluabo gregem meum ; &
 non erit ultra in rapinam : & iudicabo inter pecus , &
 pecus . Ex his uerbis plane intelligitur , quid sit , pa-
 scere , non solum in misericordia extra iudicium , sed
 in iudicio , & iustitia , & quo modo id faciat Deus , tan-
 quam iudex castigans , & absoluens eos , qui legitimũ
 & purum gregis pabulum corruperint , uel oues e gre-
 ge cornibus expulerint ; itemq; eos , qui ordinem &
 E accuba-

R E G. P O L I

accubationem gregis turbarint. Idemque est, qui pingues saluat, & custodit. quo pacto uero custodiantur, ostendunt Prophetæ uerba in persona Dei, cum ait, Et suscitabo super eos pastorem unum &c.

QVAESTIO XX.

QVANDO Deus has partes pastoris egit?

R E S P O N S I O.

TVM maxime quidem, cum Christum, germen Dauid, unicum pastorem dedit, qui has omnes partes egit.

QVAESTIO XXI.

QVANDO Christus has egit partes in pascendo grege? quando se pastorem illum unum a Deo patre datum ad salutem gregis ostendit?

R E S P O N S I O.

Matth. 3.

AB eo tempore, quo Deus pater præcursoris Ioannis iudicio eum uniuerso populo patefecit, cum testimonium Ioannis sua uoce confirmauit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Tunc enim Christus cœpit oues Dei uerbo, & exemplo pascere: in quo perseuerauit, dum mansit in terris euangelizans regnum Dei, & operibus uerbo consentientibus se uerum pastorē a Deo missum ostendens. quod etiam magis in morte pro gregis salute suscepta comprobauit, maxime uero post mortem, misso cœlitus suo & patris Spiritu ad suggerenda, & confirmanda omnia, quæcunque in uita docuerat: in quo se uerum, & æternum Pontificem, ac pastorem esse,

Act. 2.

omni-

omnibus, qui ex grege Dei sunt, declarauit. instituit autem exercere pastoris officium ad exemplum Dei pastoris, propositum ab Ezechiel Propheta, cum malos pastores ab officio reiecit: cum eiecit e templo uenientes, & euentes: cum, *Væ illis*, dixit, qui, clauem scientiæ habentes, nec ipsi intrabant, nec alios sinebant intrare: cum omnes, qui ante eum fuerant, fures, & latrones fuisse affirmauit: cum reliquit domum eorum desertam, & ex omnibus desertis, in quibus erant oues dispersæ, eas reduxit: cum claudos, cæcos, mutos, ambulare, uidere, & loqui fecit: sic enim, quod confractum erat, consolidauit: cū denique uerba uitæ illis dedit: id quod testatur se fecisse in sua ad patrem oratione paulo ante mortem, quam, ut pastorem, & plane diuinum pastorem decuit, pro ouium uita subire uoluit. sic uero patrem alloquitur, quasi rationem reddens eorum, quæ pro officio pastoris in uita gesserit. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. cum essem cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo. quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex illis periit, nisi filius perditionis. & iterum nunc cognouerunt, quia omnia, quæ mihi dedisti, abs te sunt: quia uerba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt ea, & cognouerunt uere, quia a te exiui. Pauit autem eos in misericordia: quemadmodum ipse testatur se non uenisse in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum, qui linum fumigans non extinxit, nec arundinem quassatam confregit. Accubare item fecit gregem, cum sedere illos fecit (ut ait Esaias) in pulchritudine pacis, cum pacem suam illis

E ii dedit,

Marc. 11.
Luc. 11.
Ioan. 10.

Matth. 23.

Matth. 11
Luc. 7.

Ioan. 17.

Ioan. 3.
Matth. 12.
Esa. 42.

Esa. 32.

R E G. P O L I

Ioan. 20.
Ioan. 14.
Act. 2.
Ioan. 14.
Eph. 4.

dedit, quam mundus dare non potest: cum Spiritum paracletum dedit: cum, ut mansiones distribuere, quas dicit multas esse in domo patris sui, ut seruaretur ordo in Ecclesia sua, non omnibus eadem dona tribuit, nec eadem munera commisit, sed quosdam posuit in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, sermonum interpretationes. Præstitit autem Christus, quæ ad officium pastoris pertinent, cū gregem salutari cibo pastum accubare fecit. id quod secūdo loco Ezechiel Deo, pastoris munere fungenti, tribuit. Paut uero in iudicio, quod tertio loco Propheta commemorat, cum non solum in sua ipsius persona ligandi, & soluendi potestatem exercuit, sed eandem etiam Ecclesiæ suæ ministris dedit.

Luc. 9.

Matth. 16.

QVAESTIO XXII.

AN pastoris munus, gregem in iudicio pascentis, significari intelligis, & contineri in potestate soluendi, & ligandi?

RESPONSIO.

SIC prorsus. qui enim soluit, & ligat, is iudicium quoddam exercet: perinde enim facit, ac si absolueret, uel condemnaret. differt autem hoc iudicium, quod in potestate soluendi, & ligandi a Christo data continetur, ab aliis iudiciis, quæ hoc idem faciunt, sed ab humana potestate proficiscuntur: quòd hæc sæpe ad damnum, & perniciem eius, qui absoluitur, uel condemnatur, exerceri possunt, & solent; illud uero nunquam

quam ad perniciem, sed semper ad salutem exercetur. Non enim, inquit Apostolus, habemus potestatem ad destructionem, sed ad ædificationem. Christusq; hanc ipsam potestatem exercens dixit, se non uenisse, ut iudicaret mundum, sed ut saluaretur mundus per ipsum. non enim uenit, ut mactaret, & perderet, sed ut mactatum resuscitaret, & perditum recuperaret. Ac, licet genus iudicii id esse intelligatur, quod potestate soluendi, & ligandi significatur: tamen, qui hac potestate utitur, non dicitur iudicare tantum, sed pascendo iudicare, & iudicando pascere: quia omnia semper, quantum in ipsis iudiciis est, ad eorum salutem cedunt, in quos iudicia exercentur, ut exemplum Corinthii fornicatoris, a Paulo Apostolo Satanæ traditi, perspicue declarat: quem ideo scribit Apostolus a se traditum Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus saluus fieret. sic Alexandrum ærarium dicit a se traditum Satanæ, ut disceret nõ blasphemare. in summa de sua potestate scribit, se nihil posse contra ueritatem. hæc uero potestas est diuina, & maxima potestas, quæ non conceditur omnibus passim, qui a Deo potestatem sibi datam habent, sed de iis tantum, qui in fide mysterium suum exercent. ceteris enim permittitur, ut multa contra ueritatem agant, & suam potestatem ad perniciem aliorum conuertant. Ad hanc autem corrigendam, & tandem abolendam, Deus filium suum cum potestate patris, & ueri pastoris ad salutem hominum misit. atque hoc sane modo, quod tertio loco per Prophetam Ezechielem in munere pastoris a Deo mittendi est promissum, Christus per ministros suos perpetuo implet, cum id primum quidem ipse per se imple-

2. Cor. 10

Ioan. 12.

Ioan. 10.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1.

2. Cor. 13.

R E G. P O L I

impleuerit : tum uero demū omnes partes implerunt promissionum Dei de pastore uno ad custodiam gregis mittendo , cum se ipsum suscitauit pastorem unū . hoc enim ultimo loco in promissis Dei de suo pastorali officio apud eundem Prophetam exponitur ; estq; illud , sine quo reliqua promissa locum non habent . cum uero Christus hoc impleuit , tunc se in eo uerum Deum , & uerum hominem ostendit , in quo Deus , quæcunque ad boni pastoris officium pertinerent , impleuerat .

QVAESTIO XXIII.

A N, si Christum omnes partes unici illius pastoris ad salutem sui gregis, a Deo promissi , in se impleuisse dicamus , & perpetuo adhuc implere , cum sit Pontifex , & pastor in æternum factus ; simul etiam dicere licebit , eum uicaria hominis persona in gubernanda Ecclesia sua uti ? nec enim hoc recte dici uidetur : quandoquidem uicariæ personæ in officiis , & muneribus substituuntur , cum absunt illi , quorum propria est eorum munerum procuratio , non cum adsunt , sicut Christus semper adest gregi suo , quemadmodum se affuturum ipse promisit his uerbis : Ecce enim ego uobiscū sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi .

Matth. 28.

R E S P O N S I O .

A D E S T quidem semper gregi suo Christus , sed spiritali, non corporali , uisibiliq; præsentia . grex uero Dei , ut inquit Ezechiel , homines sumus . homines autem , qui & spiritu , & corpore constant , indigent non solum præsentia pastoris , qui eos regat in spiritu , sed qui etiam gubernet in exterioribus officiis , ac muneribus ,

Ezech. 34.

neribus, quæ per hominem corporis ministerio obiri possunt, & debent. itaque Christus cum corporis sui præsentiam, quod ad gubernandi gregis rationem at-
 tinet, nobis subtraxit in cælum ascendens, instituit qui
 pastoris officium eius loco, corpus ipse gerens, ad uti-
 litatem sui gregis exerceret: non quòd ille non possit
 omnia in spiritu, & per spiritum solum efficere, quem-
 admodum etiam efficit: per Christi enim spiritum sem-
 per omnia perficiuntur, quæcunque in uicaria illius
 potestate salutariter aguntur: sed quia sic est diuina uo-
 luntas, & talis nostra natura, quæ indiget uisibilibus,
 & corporeis rebus, ut per hæc ad inuisibilia trahatur.
 tantaq; est Dei bonitas, ut se imbecillitati naturæ no-
 stræ conformare uelit; quam usque ad mortem porta-
 uit, ut omnia sanctificaret. ideo, quemadmodum in
 fundanda Ecclesia, licet solo nos spiritu saluare posset
 sine infirmitatis nostræ assumptione, corpus tamen as-
 sumere uoluit, ut corpus sanctificaret: sic, licet Ec-
 clesiam, tanquam corpus, & sponsam suam, per
 spiritum solum regere, & sanctificare possit, & san-
 ctificet, tamen uisibilia sacramenta, tanquam in-
 strumenta spiritus, & uasa, instituit, per quæ ho-
 mines sanctificationem acciperent: &, quamuis in
 iis etiam, quæ ad ministerium sacramentorum perti-
 nent, per se ipsum, uel per angelos suos, qui sunt ad-
 ministratorii spiritus, omnia perficere posset; tamen
 ministerio hominum uti uoluit. ut ergo in ceteris fa-
 cit, quæ pertinent ad foundationem, uel ministerium
 singulorum in Ecclesia; sic etiam in eo munere, quo
 cura omniū geritur, quod erat, atque est ipsius Chri-
 sti proprium, tanquam capitis omnium. etsi enim per
 se in

Ioan. 21.

Heb. 1.

se in spiritu omnia supplere possit, atque etiam, quod ad uim & uirtutem conferendam attinet, suppleat: tamen, qui eius loco tanquam pastor pastorum esset, unum aliquem esse uoluit. Atque hunc quidem ab eo institutum fuisse Petrum intelligimus, qui curam uniuersalis Ecclesiae haberet, uicesq; ipsius in terris gereret; & post Petrum eos deinceps, qui Petri sedem tenuerunt, ac tenent. Hoc uero minus mirum, & magis cōsentaneum consilio Spiritus Dei patris, & Christi, qui gubernat Ecclesiam, uidebitur, si, quodnam ipsius Spiritus consilium in ortu Christi fuerit, considerauerimus. in eo enim cū nullum humanum opus, nullum uiri munus extaret, quòd totum erat Spiritus sancti opus, ac munus: tamen, ut homo apud homines locum uiri teneret, & uiri appellationem haberet, Spiritus Dei consilium fuisse in Iosephi persona uidemus, qui & uir Mariae, & Christi pater est dictus. si ergo in gubernatione Ecclesiae, ubi opus Dei & hominis simul extat, dicamus ab ipso Christo institutum fuisse, ut, quod hominis est, per hominē gubernetur: quid magis cōsentaneum Spiritui eius dicere possumus? talis uero fuit Petrus Ecclesiae, qualis Ioseph Mariae: uel potius, talis Petrus sponsae Christi, quae est Ecclesia, qualis Ioannes matri Christi. ut enim hanc Christus moriens in cruce Ioanni commendauit, &, quasi testamento, eius custodiam reliquit: sic quidem post resurrectionem a mortuis, cum corporis sui praesentiam hominibus esset subtracturus, Petro, quasi sub forma uerborum testamenti, Ecclesiae suae custodiam commendauit, cum diceret: Petre, si me amas plus his, pasce oues meas. Hæc uero ita se habere, cū multa Scripturae loca,

Matth. 16.
Ioan. 21.

Luc. 1.

Matth. 1.
Luc. 3. & 4.

Ioan. 19.

Ioan. 21.

loca , tum uero , optima ipsius Scripturæ interpres ,
Dei prouidentia in euentu & successu rerum sese osten-
dens , maxime confirmat .

QVAESTIO XXIII.

QVIBVS tandem Scripturæ uerbis , uel argumentis
ostēdi potest, Christū uicarias suas partes Petro dedisse?

RESPONSIO.

PLVRIMIS quidem : nos uero , qui , quantum possu-
mus , breuitati nunc studemus , & ut , quam minimum
fieri possit , ab eo , quod primum nobis proposuimus ,
discedamus ; quod erat , ut notas potius rerum , quàm
explicatiorem doctrinam aliquam , scriberemus ; tri-
bus illis locis contenti erimus , in quibus unicus pasto-
ris animarum nostrarum Christi , Dei , & hominis ,
tres partes expressas , omnesq; uni Petro commenda-
tas agnoscimus .

QVAESTIO XXV.

QVAENAM sunt tres illæ partes ?

RESPONSIO.

PRIMAE quidem , ut , quorum pastor futurus esset ,
eorum simul esset pater . talis enim pastor fuit Christus ,
primū scilicet pater , deinde pastor . qualis uero pa-
ter fuerit Christus , declarat Esaias , cum , multa enu-
merans honoris eius nomina , patrem illum uocat fu-
turi sæculi : quòd uidelicet principium , & generator
futurus esset illorum , quos heredes regni cælestis fore
diuina prouidentia instituerat . Similem honorem &
F potestatem

Esa. 9

R E G. P O L I

potestatem Christus Petro dedit, cum eum principium fecit noui & cælestis populi: de quo dicit Propheta in persona Dei, & Christi: Formabo mihi populum, qui laudem meam annuntiet. Principium uero tum fecit noui populi, & quasi patrem creauit, cum ei dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. dixit enim Christus Simoni Barionæ: Tu es Petrus. atque hic statim factus est Petrus, & prima petra in fundamento Ecclesiæ posita, super quam Ecclesia ædificaretur. ædificatio autem Ecclesiæ nihil aliud est, quàm multitudo filiorum Ecclesiæ, eiusdem fidei consensu congregata, non confusa, sed ordinata, tanquã ciuitas quædam sub unius principatus forma. in ædificatione enim forma significatur. petræ uero nomen materiam significat, non quamuis, sed solidam, & duraturam, super quam quidquid ædificatum sit, etiam contra uim, atque impetum fluminum, & uentorum perdurare possit. quo nomine significatur, duraturi populi eum futurum patrem: id quod satis declarat uerbum promissionis, quod subiungit Christus, Ecclesiæ superædificatæ stabilitatem ostendens, Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eam; quemadmodum quidem præualuerunt contra eum, qui principium, & pater terrenæ generationis fuit: qui cum non ex petra, sed e luto factus esset, ne primum quidem impetum uentorum per Inferorum portas irruentium sustinere potuit: uerum statim cum uniuersa sua prole, & generatione cecidit. At non talis Petrus, qui ex petra excisus fuit, non ex luto factus: & ideo in petra ipse manens, & in petra primum fundatus, populi in omne tempus duraturi principium est factus. Qua in re quo pacto
Christi

Esa. 43.

Matth. 16.

Gen. 2.

Gen. 3.

Christi personam referat, etsi satis quidem per se patere potest: clariora tamen erunt omnia, si ut Petrum uideamus nomen petrae in fundamento positae commune cum Christo habere, eiusque personam referre, ceu patrem futuri saeculi, sic in modo etiam generandi filios futuri saeculi eundem cum Christo eiusdem uirtutis participem uideamus.

QVAESTIO XXVI.

QVO MODO dicitur functum esse Petrum uicariis Christi partibus in generatione noui populi?

R E S P O N S I O .

E O quidem modo, quem Christus ipse ostendit iis uerbis, quae ei dixit, cum illum primam petram faceret, super quam Ecclesia aedificaretur, tanquam multitudinem filiorum ostendens, quorum ipse pater futurus esset, in uirtute non sua, sed primae petrae, quae excisa est de monte sine manibus, & patris futuri saeculi. haec uero sunt Christi uerba ad illum: Et tibi dabo claues regni caelorum: &, quidquid solueris super terram, erit solutum & in caelis: &, quidquid ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis. Quae omnia pertinent ad facultatem, & modum generandi novos filios, qui regni caelorum ciues, & heredes essent futuri. per potestatem enim soluendi, & ligandi hoc fit. qua nimirum potestate fretus Paulus Apostolus, ad Corinthios scribit: Et si multos paedagogos habetis, tamen non multos patres. ego enim uos per Euangelium genui. Verum ante eum Petrus & genitus ipse est, & alios genuit, tanquam prima petra factus, & pater uniuersi generis hominum, qui in noua generatione numeratur. licet enim Paulus

Dan. 2.

Matth. 16.

1. Cor. 14.

Gal. 2.

F ii scribat

R E G. P O L I

Gal. 2

Act. 16

scribat, sibi creditum fuisse Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis: Qui enim, inquit, operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes: tamen non Paulus primus genuit gentes in uerbo, sed ante eum Petrus, ut uerba ipsius Petri testantur in Actis, cū ait: Viri fratres, scitis, quia elegit Deus a temporibus antiquis per os meum audire gentes uerbū Dei. Primas ergo partes suas Petro Christum dedisse, ut esset loco primæ petræ in ipso Christo positæ, qui est solida petra, & fundamentum cælestis ædificii, eidemq; uirtutem etiā dedisse, ut pater esset futuræ cælestis sobolis, ex his satis constare potest.

QVAESTIO XXVII.

QVAENAM sunt secundæ partes patris, & pastoris?

R E S P O N S I O.

Ioan. 17.

Luc. 22.

UT filios, & gregem conseruet, eosq; a malo tueatur: quas partes in oratione sua ad patrem Christus ostendit se implese, cum ait: Ego seruaui eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, ego custodiui; & nemo ex illis periit, nisi filius perditionis. Hanc uero potestatem Petro, tanquam suo Vicario, se dedisse, significauit tunc, cum, præsentibus etiam ceteris Apostolis, de eo loquēs, quod omnibus usu uenturum esset, ut a Satana tanquā triticum cribrarentur, unum tamen Petrum appellans dixit: Simon, ecce Satan expetiuit, ut uos cribraret, tanquam triticum. ego autem rogauī pro te, ut non deficiat fides tua. tu uero cōuersus, aliquando confirma fratres tuos. Quibus uerbis aperte Christus ostendit, ut superioribus uerbis patrem eum fecerat, ita nūc eundem

eundem a se tutorem, & defensorem factum esse.

QVAESTIO XXVIII.

QVAENAM sunt tertiæ partes patris, & pastoris?

RESPONSIO.

VT in lucem iam editos, & a malo defensos, bono etiã augeat, salutariq; cibo pascat. has item partes Christum Petro dedisse, uel maxime ex eo liquet, quod Christus paulo ante suum ad cælum ascensum dixit, cum iam corporis sui præsentiam gregi suo subtracturus esset, atque oportunissimum uideretur de persona Vicarii sententiam suam apertis uerbis declarare. nam tum quidem, ut apud Ioannem est scriptum, cum simul adessent ceteri Apostoli, & discipuli, quasi Petrũ e medio illorum seuocans, accepta ab eo confessione amoris, sic ipsum est allocutus: Si me amas plus his, pascere agnos meos. nec uero semel hoc dixit, sed ter, eadem confessione reddita, per hunc amorẽ, tanquam si testamento heredem sui pastoralis officii relinqueret, obtestatus est, & dixit: Si me amas, pascere agnos meos: & quasi non satis apertis uerbis uniuersum gregem ipsi Petro commendasset, quòd ei tantum agnos commendasset, qui iuniores essent, adiungit, Pascere oues meas. Licet autem hæc, quæ Petro dicuntur, ad ceteros etiam pastores omnes pertineant, tamen uoluisse Christum hæc omnia in eo uno, tanquam in Vicario capite, conspicua esse, ut per eum in reliquos deriuarentur, primum quidem ostendit adoptio nominis, qua primo loco utuntur, qui heredes, & successores eligunt. Christus enim Cephæ nomẽ, quod interpretatũ est

Ioan. 21.

R E G. P O L I

Ioan. 1.

1. Cor. 10.

Luc. 22.

Ioan. 21.

Act. 12. 16.

est Petrus, Simoni prius uocato imposuit. petrae autem nomen ipsi Christo in diuinis litteris tribui constat: deinde, quae huic nomini auctoritas est coniuncta, ea utendi facultatem illi dedit, cum fratres eius fidei confirmandos commendauit, ut eos ab insidiis Satanae tutarentur: cum oues praeterea, & agnos uniuersum suum gregem eiusdem fidei, & amoris tradidit, ut liberatum ab insidiis inimici bono & salutari cibo pasceret. Haec uero apud eos, qui nimium contentiosi non sint, satis esse possunt, quae uicarias Christi partes in terris Petro in uniuersum gregem ab ipso Christo datas declarant; praesertim cum etiam rerum experientia post Christi ad caelum ascensum ostenderit, hanc Petrum uicariam illius potestatem cum in Conciliis, tum in uniuersum ipsum gregem exercuisse.

Q V A E S T I O XXIX.

A N ullum generale Concilium, Petro adhuc uiuo, est celebratum?

R E S P O N S I O.

E T maximum quidem, in quo has tres simul, patris, tutoris, & pastoris, partes Petrum, Christi personam gerentem, exercuisse constat.

Q V A E S T I O XXX.

A N non temporibus Constantini primum coepta esse Concilia generalia, historiae omnes prodiderunt, quorum primum tradunt fuisse Nicenum?

Responsio.

RESPONSIO.

TRADVNT quidem Nicenum fuisse omnium primum, quia Reges, & populi, de quibus Propheta tam acerbe conqueritur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: tum primum, relicto hoc consilio, quod erat consilium malignantium, libenter se audire ostenderunt Prophetæ uerba, quibus eos eodem loco sic admonet: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: osculamini filium, ne quando irascatur dominus, & pereatis de uia iusta. Quia ergo Constantinus primus non solum hanc disciplinam apprehendit, ut oscularetur filium, & seruiret Deo in timore, & exultatione; sed in oculis omnium gentium Concilium coegit pro gloria filii contra eos, qui conspirauerant aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: secumq; populos, & nationes, quæ laudem Domino annuntiarent, primus adduxit: ideo hoc Concilium, cui interfuit ipse Imperator, primum in oculis omnium gentium, & maxime generale uisum est. sed non a Constantini temporibus Concilia generalia coepta sunt, uerum iam inde ab eo tempore, quo, ut supra diximus, Spiritus Dei non super unam gentem, sed super omnem carnē se effudit, statim post effusionem sanguinis Christi, qui non pro unius populi, aut nationis, sed pro totius mundi peccatis est mortuus. Quare, simul atque hæc coniunctio facta est in una fide gentium, & Iudæorum, qui tanquam duo populi uniuersum mundum complectebantur; illud
Concilium,

Psal. 2.

REG. POLI

Concilium, in quo primum de utrorumque salute actum fuit, coactis in unum locum eorum pastoribus, Concilium primum generale fuisse, merito dicimus. tale autem fuit Concilium Hierosolymitanum, in quo Petrus Vicarius Christi pastoris partes, quas supra commemorauimus, omnes se peregisse, & uerbis, & factis ostendit.

QVAESTIO XXXI.

QVO tandem modo?

RESPONSIO.

DIXIMVS, tres praecipuas Dei pastoris partes Christum erga suos, dum in terris uersaretur, egisse; primas, ut eos quasi pater procrearet; secundas, ut in lucem editos a malo tueretur, atque seruaret; tertias, ut bono, & salutari cibo aleret. Has item omnes partes a Petro, Christi Vicario, impletas fuisse, ex iis, quae ipse in hoc Concilio dixit, facile colligimus: cuius haec sunt uerba in Actis Apostolorum: Viri fratres, uos scitis, quia ab antiquis diebus Deus in uobis elegit, per os meum audire gentes uerbum Euangelii, & credere. Hinc apparet, quo modo primas partes, ac primum illud munus patris, & pastoris impleuerit, quod ante ei promiserat Christus, cum diceret: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. per os enim eius elegit Deus gentes audire uerbum fidei, per quod in Christo regenerarentur. id quod magis etiam explicat, cum adiungit: Et, qui nouit corda, Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans

Act. 15.

Matth. 16.

Concilium

purificans corda eorum . qua de re ait Iacobus Apосто-
 lus : Voluntarie enim nos genuit uerbo ueritatis , ut si-
 mus initium aliquod creaturæ eius . Et Paulus sacra-
 mentum illud , per quod in Christo renascimur , uo-
 cat lauacrum regenerationis , ubi inquit : Cum autem
 benignitas , & humanitas apparuit Saluatoris nostri
 Dei , non ex operibus iustitiæ , quæ fecimus nos , sed
 secundum suam misericordiam saluos nos fecit per la-
 uacrum regenerationis , ac renouationis Spiritus san-
 cti , quem effudit in nos abunde per Iesum Christum ,
 saluatorem nostrum , ut , iustificati gratia , ipsius here-
 des simus secundum spem uitæ æternæ . Hic uero totus
 explicatur regenerationis modus , quem Petrus in suo
 uerbi ministerio primus expressit . Secundæ erant par-
 tes , ut confirmaret , ac tueretur fratres , & filios , quos
 Satanæ expetiuerat cribrare , & iam inceperat ; non
 quidem cribrare , ut purgaret ; (hoc enim fecit Petrus)
 sed ut triticum , cum palea admixtum , cribrando , ac
 uentilando perderet . legem enim cum uerbo Euan-
 gelii admiscuit , tanquam paleas cum tritico : quæ
 quasi in cribro simul posita separat , ac purgat Pe-
 trus , cum ait : Nunc autem , quid tentatis Deum im-
 ponere iugum super ceruices discipulorum , quod ne-
 que nos , neque patres nostri portare potuimus ? & sic
 oues defendit a noxio Satanæ pabulo . Tertias uero par-
 tes explet , salutare illis proponens pabulum , & in opti-
 ma eas pascua deducens , cum , reiectis cæremoniis ,
 quæ legis palea erat , ait : Per gratiam Domini nostri ,
 Iesu Christi , credimus saluari , quemadmodum & illi .
 In hac igitur fidei , per quam saluamur , explicatio-
 ne agnos simul , qui ex gentibus erant , & oues Israel
 G coniunxit ,

Iac. 1.

Tit. 3.

Luc. 22.

Act. 15.

R E G. P O L I

coniunxit, & salutari cibo utrosque pavit: quæ dum faceret, patris simul, & pastoris partes egit: quæ sunt uicariæ partes, quas a Christo acceperat.

QVAESTIO XXXII.

AN hoc Concilium generale dici potest, in quo una tantum Iudæorum natio interfuit, nulli autem ex gentibus? nec enim legimus, huic Concilio interfuisse quenquam alium, præter Apostolos, & seniores, qui erant Hierosolymis: qui omnes ex Iudæorum natione fuerunt.

R E S P O N S I O.

AT uero, cum Legatos Ecclesiarum gentium interfuisse constat (tales enim fuerunt Paulus, & Barnabas, qui ab Ecclesiis gentium ad Apostolos, & seniores Hierosolymam missi erant) cum etiam ipsi Apostoli interfuerint, quos Christus Principes pastores in omnes terras constituerat, sic eos dimittens, *Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ: cum ad componendas controuersias illas, quæ de fide & lege exortæ fuerat, Concilium illud coactum esset; eaque in eo tractarentur, quæ ad uniuersæ Ecclesiæ pacem pertinerent: cum denique munus decidendi omnes controuersias ille obtineret, cui uicarias suas partes in uniuersum gregem Christus dederat: merito quidem generale hoc Concilium dici potest, & primum: quia in hoc primū consultandi causa de iis, quæ ad uniuersum corpus Ecclesiæ pertinerent, Principes Ecclesiæ pastores conuenerunt.*

Marc. 16.

Quæstio

QVAESTIO XXXIII.

AN hoc Concilium, ut tempore, sic etiam auctoritate primum fuit, & dignitate?

RESPONSIO.

FUIT sane, idque duplici de causa, primum quidē propter dignitatem eorum, qui interfuerunt, qui iidē fuisse, quorum beati oculi uiderunt, & aures audierunt, quæ multi Reges, & Prophetæ, cū id maxime desiderarent, non uiderant, nec audierant. audierunt uero, & uiderunt in uerbis, & in perfectissimo exemplo unici illius pastoris, ad salutem omnium gentium promissi, omnia, quæ ad regendum gregē Dei pertinebant; a quo & mandatum, ut eius exemplum in pascendo sequerentur, & uirtutem ex alto, ut sequi possent, acceperant. Auctoritate ergo præstitit omnibus hoc Conciliū propter dignitatem personarum, quæ illi hanc dignitatem attulerunt, ut esset quasi typus, & forma omnium Conciliorum; quò scilicet respicientes qui deinceps Concilia celebraturi essent, omnia, quæ uel ad eos aliquo modo pertinerent, qui in Conciliis præesse, & interesse debent, uel etiam admodum decidendi omnes controuersias, quæ materiam Conciliis celebrandis dare solent, tanquam in archetypo, ut rite & ordine celebrari possent, perspicerent.

Luc. 10.

QVAESTIO XXXIIII.

QVO pacto, tanquam in archetypo, in hoc Concilio Hierosolymitano cernuntur ea, quæ ad personas pertinent eorum, qui in ceteris Conciliis interesse solent?

G ii Responsio.

R E G. P O L I

R E S P O N S I O .

H A E C plane intelligemus, si diligentius aduerterimus, quænam personæ illæ fuerunt, quas in hoc Concilio interfuisse, & sententias dixisse, memoriæ proditum est, sunt autem in quadruplici, ut uidetur, genere: quæ tamen omnes unum genus efficiunt dispensatorum mysteriorum Dei. primum enim genus constituit persona Petri, alterum Pauli, & Barnabæ, tertium Iacobi: quartum uero genus intelligo eos facere, qui generatim nominantur seniores.

Q V A E S T I O X X X V .

A N sic omnes personæ comprehensæ sunt saltem in genere, quæ huic Concilio interfuerunt?

R E S P O N S I O .

MINIME quidem omnes. nec enim Principem personam nominauimus, quæ eadem est, quæ uirtutem, & robur ceteris omnibus dat. illi enim sunt tantum ministri, quos modo diximus: qui uero omnibus præest, is Principem personam, non ministri, agit. est porro idem, cuius nomine Concilium uocatur, & cuius nominis auctoritate addita, decreta Conciliorum rata habentur. hic sane est Spiritus sanctus, qui idem est Spiritus Christi, & Spiritus Dei patris; cuius organa sunt reliqui omnes, qui præsunt in Conciliis, cum rite fiunt.

Q V A E S T I O X X X V I .

Q V O modo inter se distinguuntur ceteræ personæ, quas in quadruplici genere posuisti, in quibus primam numerasti

numeraſti perſonam Petri? quid uero tandem in perſona Petri uidemus, quod in reliquis non uideamus?

RESPONSIO.

HOC fane primum, quod proprium eſt eius, qui primas partes in Conciliis tenet; ut finem imponat controuerſiſ, eaſq; dirimat; ut concludat, & auctoritate ſua dimittat Concilium. quæ omnia ex uerbis Scripturæ uidemus in illo Concilio Petrum feciſſe. ſic enim eſt ſcriptum: Cum autem magna conquiſitio fieret. quæ uerba ſignificant, magnam primum altercationem de iis, quæ decidenda eſſent, in Concilio extitiſſe: quam Petrus ſic repreſſit, ut uerba, quæ ſequuntur, oſtendunt: Surgens autē Petrus dixit ad eos: Viri fratres &c. quæ cum dicit, ſententiam Concilii, & ſententiam Spiritus Chriſti primus pronuntiat, atque concludit. hoc autem uidemus in perſona Petri, quod in ceteris nō uidemus. Secundo loco uidemus in eodem uicariam poteſtatem, & curam quandam præcipuam utriuſque populi. nam cum ii, qui ex circumciſione erant, iis, qui ex gentibus credidiſſent, ut eadem fides communis ſecum erat, ſic quoque idem legis onus commune eſſe uellent; ille, tanquam iudex, & paſtor utriuſque populi, qui iam unus eſſet factus, iugū legis ſic ab utriſque detraxit, ut eius ſententiæ in hoc reſiſtentes magna uerborum auctoritate deterruerit, cum eos grauiter increpans ſic ait: Quid tentatis imponere iugum &c. quibus uerbis ſeuere Chriſti uicarium oſtendit: qui uenit ut cæremonias, graue legis iugum, a ſuis tolleret, ac pro eo ſuum leue, & ſuaue eiſdem imponeret. Auctoritatem uero, quam ei Spiritus Chriſti dederat, ualuiffe in hac
cauſa

Act. 15.

causa, illud maxime indicat, quòd nemo ausus fuit in Concilio se ei opponere, sed, ut est in Actis, Petri sententia pronuntiata, tacuit omnis multitudo: cum tamè constet, in illa multitudine fuisse Phariseos aliquot, qui extra Concilium pertinacissime contrariam semper sententiam defendissent, & hanc oppugnassent: uerū illi tum, auctoritate Petri commoti, tacuerunt: qui uero postea uerba fecerunt, omnes eius sententiam approbarunt. cum autem hæc in Petri persona uidemus, omnium eorum, qui in Petri cathedra successerunt, partes in Conciliis uidemus: quæ maxime in hoc extare debent, ut controuersias dirimant; ut grauitatem oneris a populi Dei ceruicibus detrahant; & ut Concilium dimittant; omniaq; auctoritate petræ fidei, in fundamento Ecclesiæ positæ, faciant. Sed hoc ad modum decidendi cõtrouersias pertinet; de quo post dicemus. Nunc uero non tam de modo, quàm de personis loquimur, quæ interesse solent in Conciliis; quas omnes iis personis, quæ in Hierosolymitano Concilio interfuerunt, significatas esse diximus, & tanquam in archetypo Concilio designatas, atque expressas.

QVÆSTIO XXXVII.

QVĪD in Pauli, & Barnabæ personis animaduertimus, qui secundo loco uerba fecerunt in illo Concilio?

RESPONSIO.

IN his quidem eorum personam agnoscimus, quorum est referre ad Concilium de iis, quæ pacem Ecclesiarum turbent: quemadmodum illi retulerunt de controuersis, quæ fuerant in Ecclesiis gentium excitatæ per eos,

eos, qui erant ex circumcissione, ad quas decidendas Concilium est congregatum. horum autem oratione uidemus significatum esse officium eorū omnium, qui pro pace Ecclesiarum ad Concilium mittuntur: quorum partes sunt, ut tam opus Satanæ, quod totum in fidei puritate tollenda uersatur, quàm opus Dei ad eandem confirmandam exponant, demonstrentque, quantum fieri possit, ea, quæ ipsi re ipsa de gratia Dei ad confirmandum robur fidei sunt experti in illis Ecclesiis, a quibus sunt missi: quemadmodum Paulus, & Barnabas miraculis per ipsos editis fidem, & sententiã Petri confirmarunt. huc enim pertinet omnis eorum oratio, ut signis, miraculis, atque operibus confirmet, eam esse Dei uoluntatem, & ueritatem inflexibilem, quam Petri fides proposuit. Horum autem uerbis, per opera confirmantibus doctrinam fidei a Petro expositam, succedit oratio Iacobi, qui eandem confirmat per Scripturas. in Iacobi uero persona significari intelligimus personam singulorum Episcoporum, quibus certæ Ecclesiæ sunt commendatæ; quorum officium in Conciliis per ipsam Iacobi orationē satis etiam significatur.

QVAESTIO XXXVIII.

QVID tandem extat in Iacobi persona, quod ad Episcoporum, qui singulis præsunt Ecclesiis, personam, & officium in Conciliis declarandum pertineat?

RESPONSIO.

HOC primum, ut Petri doctrinam de fide confirmet, quemadmodum Iacobus fecit: hoc enim commune omnium, & singulorum Episcoporū esse debet: deinde,
si

si priuatæ eorum Ecclesiæ aliquid uel consuetudine,
 uel lege receperint, quod non aduersetur sinceri-
 tati doctrinæ fidei, uerum eiusmodi esse uideatur, ut,
 eo sublato, periculum sit, ne caritatis uinculum rum-
 patur. hoc quidem ut quisque in sua Ecclesia experi-
 tur, sic proponere poterit, quemadmodum Iacobus
 fecit: qui cum Hierosolymorum esset Episcopus, quæ
 ciuitas ex gente circumcisionis tota constabat; licet,
 quod ad ipsam ueritatem pertinebat, abunde, idq; per
 Scripturas, declarasset, per fidem Christi legis iugum
 ab iis, qui Christi fidem acceperant, excussum fuisse;
 & in hoc Petri sententiam confirmasset; tamen, quia
 uidebat, si gentes hac libertate in omnibus uterentur,
 ut nulla ab eis ratio ueteris Iudæorum consuetudinis
 haberetur, quibus cum fide iam coniuncti erant, cari-
 tatem inter eos firmam manere non posse, sed suas po-
 tius oues per contemptionem moris sui scandalū passu-
 ras, hoc ad Concilium retulit, ut, quæ ex antiquis eo-
 rum moribus, salua fidei doctrina, ad retinendam pa-
 cem, donec magis adolesceret fides, obseruari possent,
 ea ab utroque populo obseruarentur. qua in re nec ab
 ipso Petro, nec a reliquo Concilio repulsam tulit: uerū
 in hanc sententiā decretum, ipso Spiritu sancto dictate,
 suffragiis omnium est factū, ut nihil ultra oneris genti-
 bus imponeretur, nisi ut abstinerent ab iis, quæ immo-
 larentur idolis a suffocato, & sanguine, itemq; a fornica-
 tione. hoc uero onus erat caritatis, nō fidei onus: quod
 quale sit, & quo pacto hæc distinguantur, postea, ut
 spero, explicabimus. Nunc in eo uersamur, ut ex per-
 sonarum diuersitate, quæ ius dicendi sententias, decer-
 nendi, ac iudicandi in illo Concilio Hierosolymitano
 habuerunt,

habuerunt, quod archetypum, exemplumq; reliquorum omnium Conciliorum fuisse intelligimus, scrutemur, ad quos maxime pertineat in ceteris Conciliis eodem iure uti. Huc autem quærendo peruenimus, ut intelligamus corpus ipsum Concilii ex illis constare, qui curam gregis habent: ut in exemplo Petri, Apostolorum, ac seniorum uidemus, qui in hoc Hierosolymitano Concilio interfuerunt. Licet autem, quod ad munus prædicandi uerbi attinet, par auctoritas, & eadem mandata omnibus Apostolis a Christo data esse uideantur, cum illis dixit; *Ite in mundum uniuersum; prædicate Euangelium omni creaturæ*: tamen in hoc Concilio, in quo Petrus ipsius Christi uices gessit, ceteri Apostoli eorum potius personam referunt, qui in partem sollicitudinis sunt uocati, quàm eorū, quibus una cum Petro per orbem prædicandi Euangelii cura est cōmendata. tales autē posterioribus sæculis agnoscimus fuisse, & nunc esse, primates Archiepiscopos, Episcopos, Abbates. Quas uero Petri uidemus primas partes fuisse, ut doctrinā fidei ante omnia explicaret, quæ explicatio tanquam fundamentum esset ad dissolueudas omnes controuersias, has dicimus esse præcipuas partes Romanorum Pontificum, qui in Petri locū successere, in omnibus Conciliis, ut ante omnia, & contra omnes procellas controuersiarum, fidei Petri explanationem proponant, atque opponant; ceterorum uero omnium, qui in Conciliis interfunt, ut hanc fidem non solum probent, sed omnibus argumentis confirment. Hoc autem fundamento consensus in una fide iacto, tum quidem, si quæ sint in singularum Ecclesiarum moribus, uel antiqua consuetudine, uel lege

H

introduc̄ta,

Marc. 16.

introduc̄ta, quæ etsi non usquequaque nudam illam fidei sinceritatē referant, modo tamē ei non repugnent, tum nec se difficilem præbere debet is, qui Petri locum tenet, in assentiendo infirmitati gregis, donec fides magis adolescat: nec tacere debent, qui in singulis Ecclesiis præfunt, infirmitates gregis sui, sed in Concilio proponere. cuius rei exemplum in Petri, & Iacobi personis, ac sententiis, atque in ipso Concilii decreto habemus. Sed hæc magis pertinent ad modum componendi controuersias: de quo nunc, quoniam de personis satis dictum uidetur, quærendo inuestigare conabimur.

QVAESTIO XL.

QVA ratione, & uia usi sunt, qui in Concilio Hierosolymitano præfuerunt, ad componendas controuersias? ex illius enim Cōcilii exemplo dixisti modum elici posse omnium diffensionem, quæ ad religionum pertinent, sedandarum.

RESPONSIO.

HOC quidem facilius intelligemus, si, quo auctore controuersia in Ecclesiam irreperint antea, ac perpetuo irrepant, dixerimus. hunc autem Christus ostendit, cum præuidens, ac prædicens zizania, quæ inimicus homo superfeminaturus esset in agro Ecclesiae suæ, tritico prius ab optimo agricola fato, eum ipsum, cui curam Ecclesiae relicturus erat, sic alloquitur: Simon, ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Satana ergo impulsore intelligimus omnes in Ecclesiam introduci controuersias: quas quidem tollendi modum unum futurum

Matth. 13.

Luc. 22.

futurum Christus ipse significauit, illum scilicet, cum statim subiicit, Ego autem rogavi pro te, (Petrum appellans) ut non deficiat fides tua : & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vnum hunc modum ostendit Christus dissoluendi omnes controuersias, nempe unã illam Petri fidem, oratione sua ad patrem nixam, ac roboratam. et sane hoc ipso modo uidemus Concilium hoc Hierosolymitanum usum in maxima omnium controuersia tollenda.

QVAESTIO XLI.

QVO pacto per hanc Petri fidem in illo Concilio sedatae sunt controuersiae, ut ex eodem, quid in ceteris Conciliis fieri debeat, in quibus de componendis controuersis agitur, exemplum capi possit?

RESPONSIO.

HOC, ut prorsus intelligamus, quemadmodum iam ex Christi uerbis auctorem omnis discordiae, & controuersiae cognouimus, ita, quidnam sit, quod controuersas causas faciat inter homines, ex communi hominum sensu inuestigandum esse. hoc uero constat inrer omnes, qui contendunt: quicumque auctor fuerit contentionis, eum semper hanc cõtendendi causam præferre, quòd sibi ab eo, quocum contendit, aliquid sit detractum, quod uel ad honorem, uel ad commodum ipsius pertineat, uel denique quod ei aliquo modo carum sit, aut iucundum; ob idq; contendere, ut sibi satisfiat in eo, quod ita est detractum. hinc omnium controuersiarum cum in religione, tum in rebus ciuilibus causas, originemq; duci, communis uita satis docet. nam qui

H ii religionis

religionis causa contendit, is semper aliquid de honore Dei, & pietate detractum ab eo, quocum contendit, arguit: qui rerum ciuiliū causa, ob honorem, uel modum sibi detractum, litem se intendere præsefert, uel ob utrunque, aut denique ob id, quod quoquo modo carum, gratum ue habeat: finem uero contentionis apud homines non malignos (cum malignis enim frustra quæritur pax) tum fore, cum ea, quæ ablata iudicantur, integra restituantur. Hoc omnium controuersiarum fundamento patefacto, ad illam controuersiam considerandam reuertamur, quæ composita est in Concilio Hierosolymitano; ex cuius compositione exemplum reliquas omnes componendi, quæ in Ecclesia nascuntur, capi posse diximus. Videamus autem primum eius originem: quam facile intelligemus, si prius personas eorum cognouerimus, qui eius excitandæ auctores fuere. simul enim intelligemus, quænam erat controuersia. de iis autem, a quibus illa excitata est, ita scriptum est in Actis: Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorū, qui crediderunt, dicentes, Quia oportet circumcidi eos, (populum gentilem intelligentes) qui fidem receperant; præcipere quoque eis, seruare legem Moyse. Quales porro fuerint Pharisei, diuus Paulus in sua ipsius persona satis explicat, cum, ad Regem Agrippam uerba faciens, uitæ suæ præteritæ rationem reddit in hunc modum: Et quidem uitam meam a iuuentute nouerunt omnes: quoniam secundum exactissimam sectam nostræ religionis uixi Phariseus. Cur uero exquisitissimam sectam omnium appellet, in epistola ad Galatas, de se ipso etiam loquens, sic declarat: Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo:

Act. 15.

Act. 26.

Gal. 1.

Iudaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos æquales in genere meo abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Tales ergo erant apud Iudæos Pharisei, qui seuerius obseruarent paternas traditiones : ex quibus qui conuersi fuerant ad fidem, ii, pristinae adhuc sectæ uestigiis insistentes, cum uiderent gentes, quæ fidem receperant, legis obseruatione solutas in populo Dei numerari, hic quidem conqueri, & contentiones mouere cœperunt : ob id uero conquerebantur, quòd detrahi in hoc & honori Dei, qui legem dederat, & sibi ipsis putabãt, qui se per legem, quòd eam exactius aliis seruarent, cum ceteris gentibus, tum etiam genti suæ præstare existimabant. Hæc fuit illorum querela : quæ quo modo per Conciliũ sublata fuerit, nunc quæramus.

Q V A E S T I O X L I .

Q V O modo per Concilium Hierosolymitanum de fide, & legis obseruatione quæstiones sublatae fuere?

R E S P O N S I O .

V T in summa dicam, per uerbum fidei, & caritatis. eodemq; modo apud omnes non malignos omnes omnium temporum controuersia sedari possunt. quod sic erit apertum, si naturam uerbi fidei in Iesum Christum, filium Dei uiui, primum aliqua ex parte declarauerimus, deinde caritatis.

Quæstio

QVID NAM est in natura uerbi fidei, quod ad sedandas discordias pertineat?

R E S P O N S I O.

NIHIL prorsus, si loquamur de iis discordiis, quas mutuo inter se homines exercent. immo contra uidemus, Christi fidem prædicatam semen discordiarum cum omni genere hominum, pacem uero cum Deo secum afferre.

QVAESTIO XLIII.

QVID tandem inest in natura uerbi fidei, quod illud profitenti dissidium cum omnibus pariat?

R E S P O N S I O.

HOC scilicet, quod homini omnia auferat, quæcunque humano iudicio uel honorifica, uel commoda, uel denique quoquo modo grata, aut iucunda esse possunt. nec uero solum externa bona aufert, cuiusmodi sunt diuitiæ, honores, amici, propinqui, parentes, sed legem ipsam Dei, atque ipsum tandem hominem a se ipso abstrahere, ac diuellere profitetur. sic enim auctor ipse fidei palam dixit, cum hominem per fidem ad se uocaret: Qui non odio habuerit patrem, & matrem, non est me dignus: & qui non reliquerit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam, non est me dignus. Quæ cum ita sint; quid mirum, si discordiarum segetem fidei uerbum secum afferat? quid mirum, si uniuersus orbis contra sinceræ fidei prædicatores omni tempore coniu-
ret? id quod Christus ipse auctor fidei, cum discipulos suos, huius doctrinæ magistros, in orbem mitteret, illis euenturum prædixit: Et eritis, inquit, odio omnibus
hominibus

LUC. 14.

LUC. 21.

hominibus propter nomen meum : nullum excipiens genus hominum . Idemq; naturam huius fidei , quàm apta esset ad discordias suscitandas , magis explicans , dicit de se ipso , qui cum uerbo fidei uenerat : Nolite arbitrari , quia uenerim pacem mittere in terram . non ueni pacem mittere in terram , sed gladium . ueni enim separare hominem aduersus patrem suum , & filiam aduersus matrem suam , & nurum aduersus socrum suam , & inimici hominis , domestici eius . Vt autem summatim dicamus , qui summas tantum rerum , & argumentorum attingere , nõ doctrinam aliquam explicare hoc scripto aggressi sumus : hoc prorsus inesse in natura fidei uidemus , ut ab hominibus semper existimata sit ea omnia euertere , quæ præclarissima in rerum natura habentur , ut quæ , quo magis explicata sit , hoc magis talis existimetur , sic ut leges etiam cum humanas , tum diuinas labefactare , & quasi naturam hominum , atque omnes bonos mores , & consuetudines abolere , atque extinguere uideatur . hæc enim omnia obiecta sunt & Christo , & discipulis eius , primis uerbi fidei seminariis : cum tamen nihil horum re uera illa sic euertat , ac tollat , ut non omnia , cuiuscunque generis fuerint , bona , propter eam , & per eam amissa , uel relictã , multo copiosiore mensura reddat , ac restituat . nec enim illos audiendos esse ullo modo censemus , qui sic solam fidem prædicant , ut piis caritatis actionibus detrahant : qui ignauis nihil agendi , impigris ad actiones male agendi occasionem , & licentiam suo peruerso loquendi modo præbent : quos non tam peruerse quidem , quàm impie prædicare fidem existimamus ; dum uel parũ curare , uel prorsus contemnere leges , & maiorũ instituta docent.

Matth. 10.

Gal. 5.
Rom. 3.

docent. Nec enim, quam prædicabant Apostoli, per quam iustificantur impii, fides eiusmodi fuit, sed quæ per caritatem operatur. Nunquid autem, inquit Apostolus, legem per fidem destruimus? absit: sed statuimus. Quæ ergo legem roborat, quæ lucet, quæ diuitem facit hominem in bonis operibus, quæ destructa instaurat, hanc fidem illam esse dicimus, quæ Iesum Christum redemptorem recipit. nec tamen negamus, etiam ex hac quoquo modo prædicata occasionem scandali sepe arripi ab hominibus sui amantibus, quales magna ex parte omnes sumus. hoc uero est, quod hætenus diximus, fidem prædicatam apud homines, eorum scilicet culpa, atque malitia, tumultus potius, quam pacem initio gignere, & ob hoc solum gignere, quòd nemo suorum bonorum spoliationem libenter audiat, sed pro iis omnes libenter pugnent. hoc autem primum est in officio fidei, ut hominẽ humanis bonis spoliet: quorum loco diuina postea tradit, & hominem tandem in integrum restituit. sed hanc moram non fert hominis sui amantis impatiens natura: & ideo ad nomen spoliationis clamor statim, & tumultus oritur: ad quem sedandum una duntaxat uia relinquitur, nempe prædicatio caritatis, uerbo fidei coniuncta: quæ eadem est, per quam Apostoli controuersiam illam magnam de fide, & lege in concilio Hierosolymitano sustulerunt.

QVAESTIO XLIIII.

QVO tandem modo sublata fuit illa controuersia?

RESPONSIO.

CVM Deo redderetur, quod Deo debitum esset, &
homini

homini, quod homini. id uero per explicationem uerbi fidei, & per decretum caritatis est factum.

QVAESTIO XLV.]

QVO modo fidei uerbum reddit Deo, quod est Dei?

RESPONSIO.

CVM totam spem salutis in uno Deo patre per unum Iesum Christum, filium eius, ponit. id uero Petrus tanta uis orationis facit, explicans salutis nostrae fundamentum, ut interponentes legem in partem salutis, tentatores Dei appellet, legemque ipsam onus non ferendum dicat; denique illam doctrinam, quae hoc doceat, non doctrinam salutis, sed euerfionem animarum esse concludat. Hoc ergo modo uerbum fidei reddit honorem Deo in Christo, & per Christum, cum per fidem in Christo totum hominem, quasi holocaustum, Deo immolat. Deo autem, & hominibus quod debetur, reddit, cum legem a fide remouens, eam tradit caritati. iniuriam enim tam Deo, quam hominibus facit, qui legem prorsus soluit, praesertim cum, lege sublata, ne commercium quidem homini cum homine esse possit; in lege autem suam Deus gratiam coram hominibus lucere uelit. maiorem uero iniuriam facit cum Deo, tum hominibus, qui legi iustificationem tribuit, cum sibi huius gloriam Christus sine lege uindictet: onusque intolerabile hominibus imponitur, cum lex sua propria uirtute in partem salutis cum fide se immiscet. et ideo, ut Dei patris honori in Christo, & hominum salutis, & consolationi, atque imbecillitati ad ferendum tantum onus consulatur, legis iugum a fide ad carita-

I tem

tem transfertur : cum caritate uero coniuncta lex , iam non iugum graue , sed suaue est . et sic omnibus , quod debetur , facile redditur : omnesq; controuersiarū causa tolluntur , quemadmodum in illo Concilio Hierosolymitano factum uidemus : in quo hoc uidemus : cum lex a fide remota caritati traderetur , tantum abfuisse , ut illa ab iis negligeretur , quibus sic est tradita , ut ad minutissimæ quæque legis obseruanda iidem promptos se ostenderint . id quod decretum illud communi omnium consensu factum de abstinendo a suffocato , & sanguine , & idolothitis , quæ minima erant in lege , maxime declarat . per illud autem , quod ex caritate factū est , decretum , omnis scandali materia est sublata ; & , quæ Dei erant , Deo , & quæ hominum , hominibus redita . Si uero hæc , quia breuius , ideo obscurius sint dicta , quæramus iterum de iisdem .

QVAESTIO XLVI.

QVID est , quod dicis , legem , quæ omnia nostra opera complectitur , in parte fidei , per quam pacem habemus apud Deum , minime ponendam , sed caritati totam subiiciendam ? quo modo hæc intelliguntur ?

R E S P O N S I O .

HOC quidem modo ab omnibus intelligentur , si unusquisque suū ad salutem ingressum , qui est ingressus ad Deum patrem , & ad Iesum Christum , primum consideret , deinde egressum ad homines propter salutem aliorum . illum enim efficit fides ascendens , hunc caritas descendens , quæ a uera fide proficiscitur , & cum ea , si tamen sit , coniuncta est . itaque descensus ad homines
propter

propter eorum salutem est caritatis effectus, sicut ascensus ad Deum fidei. accedentem enim ad Deum oportet credere. eiusmodi sane ingressum, & egressum uidetur significasse Christus, cum dicit, se ostium esse, per quem qui introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pasqua inueniet.

Ioan. 12. & 10

Q V A E S T I O X L V I I .

Q V A L E M dicis esse ingressum per fidē ad Christum? quo modo autē in hoc ingressu excutitur iugum legis?

R E S P O N S I O .

E O sane modo, quo homines solent uitam ipsam per fidem excutere. simul enim cum uita excutitur iugum legis: quandoquidem lex non dominatur in homine, nisi quā diu uiuit. quōd si mortuus fuerit, solutus est a legis iugo: nos autem per fidē in baptismo simul cum Christo morimur. quicumque enim, ait Apostolus, in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem &c. quocirca fides per mortem ingreditur ad uitam, & sic per amissionem omnium, quæ in uita honorifica, utilia, aut iucunda esse possunt; ea tamen spe, ut uita nobis reddatur in Christo melioribus bonis affluens. talem enim Christus uitam promittit quærentibus eam in ipso, & suam relinquentibus. uerum hoc nimis durum iter naturæ hominis uidetur. quamuis enim, uitam feliciorē assequi, nobis semper sit in uotis: spoliari tamen nolumus, sed, ut inquit Apostolus, superuestiri. fides uero totum hominem spoliat. Quare hoc iter naturæ nostræ non potest

Rom. 7

Rom. 6.

2. Co r. 5

I ii non

non maxime durum uideri, donec Christum ipsum totum amplectetur. quanquam prorsus ne ingredi quidem, nec uero gressum Christum uersus conuertere quisquam poterit, nisi Christi Spiritum in se ante habuerit, qui gressus moderetur, & moueat. Verum in principio, qui a Dei Spiritu mouetur, tanquam infantulus nescit a quo portetur: sicut Scriptura dicit in persona Dei: et ego, quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis; & nescierunt, quod curarem eos. Idem accidit paruulis in fide, ut portentur a Deo, & a Spiritu Christi, id ipsi tamen ignorent. Ille autem Spiritus, quo primum agi uidentur, a Spiritu Christi uidetur alienus. est enim Spiritus timoris: & is quidem omnibus tanquam stimulus est, qui eos in uia ad uitam caelestem contra blanditias uitae terrenae incitet: qui tum quidem maxime adest, & uehementius sentitur: a quo nemo liberatur, donec tandem in Christi morte summam Dei patris dilectionem erga se fidei oculis uideat; donec uideat, quod dilectus discipulus dixit, qui & uidit, & manibus tractauit de uerbo uitae. dixit autem: In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per ipsum. Hoc ergo uidens anima fide plena, se ipsam uidelicet in Christo tam immenso amore comprehensam, simulque contrarium sibi chirographum, nempe ipsam peccati legem, per hanc mortem deletum, quo nihil unquam terribilius humano animo coram Deo obiici, & opponi potest, quatenus se quidem amari uidet, timorem incipit deponere, & eius loco amorem concipit: nec tamen sic timorem deponit, ut non plures, & iustiores timendi causas uideat, quam antea unquam

Ose. 11.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

quam suspicari potuerit; quippe quæ grauitatem casus sui, & totius humani generis magis intelligit; periculum commune omnium, & priuatum suum certius aspicit, terrorisque plena uidet omnia etiam ea, quæ prius tutissima uidebantur: ita ut hic primum timorem Domini didicisse sibi uideatur, hic primum intellexisse, quid, & pro quo timendum sit, & maiorem uim inimici, quàm antea unquam, perspicere. luctam enim sibi uidet instare non solum aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, ac potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum contra spirituales nequitias in cælestibus. quæ omnia uidens, nisi simul uideret eum, per quem omnia nostra peccata sunt nobis remissa; qui deleuit, quod aduersus nos erat, chirographum; affigensq; illud cruci, & expolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semet ipso: iam quidem, quo propius ad Deum accederet, eo magis timore tabesceret. sed hos uidens triumphos ab eo peractos, a quo se tam immenso amore complexam sentit, & ut sibi uia ad Deum patrem tuta pateret, hæc omnia a filio Dei, qui idem fuit filius hominis, tam magnifice & salutariter fuisse gesta: hic quidem contra timorem se armare incipit, & confortari in Domino, atque in potentia uirtutis eius. Arma uero iam non hominis, quæ uana, & fallacia sunt, sed Dei, quæ ut potentissima sunt, sic nunquam fallunt, quoties egredi iubetur, sumit: mandatum enim egressionis iam expectat. quamuis autem omnium suauissimum experiatur, in eo acquiescere, in quo omnem timorem deposuit: cum se tamen sponsam per fidem agnoscat eius uiri, quem, licet regem

Eph. 6.

Col. 2.

2. Cor. 10.

R E G. P O L I

Hier. 31.
 Philip. 2.
 Eph. 6.
 Rom. 8.
 2. Cor. 1.
 2. Cor. 12.
 Rom. 8.

regem omnium, cæli claustra tenere non potuerunt, caritate perpetua, atque immensa homines amplectentē, quin, se ipsum quasi exuens, in terram descenderet, forma serui accepta, ut homini, seruo peccati facto, & morti æternæ addicto, uitam, & libertatem restitueret, ac locum, & regnum in cælo daret: hic quidem exemplum, & uoluntatem sponsi ante oculos habens, atque eius spiritum hauriens, stat etiam ipsa ad egressum parata, accincta lumbos in ueritate, induta loricam iustitiæ, & calceata pedibus in præparationem Euangelii pacis. hanc enim solam causam egrediendi ad homines, ut pacem afferat omnibus, ad quoscunque mittatur, agnoscit, quia eandem in sponso agnouit. expectat uero nutum sponsi, & Domini: quo annuente, sumens scutum fidei, & galeam spei salutis cum gladio Spiritus, quod est uerbum Dei, statim læta progreditur: quamquam sane nusquã oculos foras conuertere possit, quin omnia contraria, omnia paci aduersantia uideat. statim enim ærumnæ, angustia, nuditas, pericula, persecutiones, & gladius se se ei offerunt, & opponunt. sed nec propter hæc, cælestibus armis induta, terretur; uerum cum eo, qui hæc certamina maxime est expertus, ac superauit, dicere audet: In omnibus autem his superamus propter eum, qui dilexit nos. quare nec pugnam detrectat, sed ea spe aggreditur, ut in ipso certamine etiam uires sibi augendas fore non dubitet: quemadmodum Apostolus Paulus sibi inter pugnandum auctas fuisse fidem, & spem, multis locis testatur, maxime uero ubi ait: Certus sum enim, quia neque mors, neque uita, neque Angeli, neque Principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque

neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc uero nunc satis dicta sint; ut aliquo modo intelligatur, qualisnam sit uel ingressus noster ad Deum in Christo per fidem, uel egressus ad proximū cum eodem per caritatem; & quo pacto læta, ac salutaria utrobique pascua inueniantur; denique, ut sciamus, quem admodū in hoc ingressu anima fidelis non prius in Spiritu timorem deponere incipiat, quàm iugum legis peccati in eodem Spiritu ab se remotum sentiat: hic. n. primum illam gaudere, & pacem habere ad Deum incipere, postquam se iustificatam apud eum in Christo sentit: ac tunc quidem illam egredientem nihil unquam libentius recipere, quàm legis iugum, iam non fidei, sed caritatis humeris impositum, & ideo iucundissimū.

QVAESTIO XLVIII.

Q V O argumento cognoscitur quis iugum legis per fidem excussisse?

R E S P O N S I O .

H O C maxime, & certissimo, quo quis scilicet ad omnē iustitiam implendam, & ad omne legis perficiendum opus se promptiorem & alacriorem præbet.

QVAESTIO XLIX.

V T R V M hæc alacritas iugum legis excussum declarat, an potius, magis quàm antea, hominem legi subiectū?

R E S P O N S I O .

V T R V N Q V E sane declarat: quia hæc alacritas proficiscitur a Spiritu, qui datur credētibus. Spiritus uero
promptus

R E G. P O L I

promptus est ad omnia facienda, in quibus uoluntas Dei declaratur, ad utilitatem proximi: & quia lex hanc uoluntatem maxime declarat, ideo maxime, ut legem exequatur, est promptus. est autem ideo Spiritus, qui & legi dominatur, & seruit.

QVAESTIO I.

QVALIS tandem est hic Spiritus?

RESPONSIO.

Rom. 8. EST Spiritus sanctus, Spiritus paracletus, Spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater; Spiritus dilectionis, ex quo maxime cognoscuntur, qui maxime cum Christo per fidem sunt mortui: qui uere Christi discipuli sunt. ex hoc enim, inquit Christus ad suos, cognoscent homines, quod discipuli mei estis, si diligatis inuicem. Est autem hic Spiritus, qui discipulos Christi intus per fidem factos, foras per caritatem educit, ut cognoscantur ab hominibus ad gloriam Dei. atque hi quidem sunt, quibus & ingredientibus, & egredientibus pascua promittuntur. denique est idem Spiritus, qui in omnibus Conciliis generalibus, & in omnium fidelium cordibus praesert, semperque praesertesse debet, qui maxime se ostendit praesertesse fuisse in Concilio illo Apostolorum Hierosolymis coacto, de quo nunc tam multa diximus.

QVAESTIO LI.

QVO modo se talem ostendit?

Responsio.

RESPONSIO.

EX illustratione ueritatis fidei, reiicientis iugum legis,
& ex resumptione legis per Spiritum caritatis.

QVAESTIO LII.

VBI apparet, legem resumptam fuisse?

RESPONSIO:

IN uerbis decreti ipsius Concilii, in quo sic est scriptum:
uifum est Spiritui sancto, & nobis, nihil uobis impo-
nere oneris, præterquam hæc necessaria, ut abstinea-
tis uos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, ac suf-
focato, ac fornicatione. Horū enim omniū prohibitio
ad legem pertinebat. quare cum ea fidelibus interdicit
Spiritus, legi etiam subiicere eos quodā modo uidetur.

Act. 15.

QVAESTIO LIII.

QVO tandem modo?

RESPONSIO.

PER caritatem. dilectio enim, inquit Apostolus, est
plenitudo legis: & qui diligit proximū, legem impleuit.

Rom. 13.

QVAESTIO LIIII.

AN, cum in eodem decreto contineatur, ut abstineant
a suffocato, & sanguine, & idolothitis, itemque a for-
nicatione, (ideo uero hæc prohibentur, quia necessa-
ria uidebantur, a quibus uterque populus abstineret)
nos eandem causam utriusque prohibitionis fuisse in-
telligemus? uel tam necessarium fuisse abstinere a suf-
focato, quàm a fornicatione?

K Responsio.

MINIME quidem. nec enim eandem causam utriusque prohibitionis fuisse intelligimus, nec eodem modo utranque esse necessariam, sed unam ad tempus, alteram in omne tempus. prohibentur enim sanguis, suffocatum, & idolothita, ne, quod infirmum est, magis infirmetur; ne linum fumigans extinguatur; aut calamus quassatus confringatur: quãdoquidem propter illos facta est hæc prohibitio, qui ex circumcissione credentes, non dum ita fide roborati erant, ut ueterem opinionem, qua huiusmodi cibis hominem contaminari iudicabant, excutere possent: qui potius fidem adhuc teneram reiecturi uidebantur, quã roboratam lege, & consuetudine sententiam, si seuerius cum illis, non dum matura fide, actum esset. quare, horum infirmitatis causa, firmiter caritati hoc onus caritas ipsa imponebat; ut a suffocato, & sanguine, ac similibus abstinerent, quæ lex imponebat, tanquam pædagogus pueris, contaminationem allatura. Cum uero interdicitur fornicatio iis, qui fidem receperant; longe alia ratio est. hæc enim interdicitur, quia non opinione, ut ciborum esus, sed re uera contaminat hominem. interdicitur autem, ne, iam per fidem sanctificatus, iterum cõtaminaretur. per fidem enim, ut inquit Petrus, Deus corda gētium purificauit, dans illis Spiritum sanctum. quæ uero intrant per os, non inquinant hominem, sed quæ exeunt ex corde: qualia sunt malæ cogitationes, adulteria, fornicationes &c. Hæc igitur prohibitio semper est necessaria: quia hæc est perpetua uoluntas Dei, ut sanctificationem nostram ne polluamus. prohibitio uero illa ciborum non est semper necessaria: quia non est

Esa. 42.

Act. 15.

Matth. 15

Marc. 7.

1. Theff. 4.

est perpetua Dei uoluntas, ut ita fiat, uerum tantisper, dum adolescat fides: itaque paulo post, augescente fide in Ecclesia, prorsus est abolita, quemadmodum necessario quidem abolenda fuit. Ex quibus satis nunc colligere possumus, cur caritas tam falsam contaminationem, quàm ueram, tanquam necessaria quæ ueterentur, prohibuerit; ut salutem utriusque populi confu- leret. nec enim populus gentilis minus propensus in eã opinionem fuit, ut fornicationem, qua re uera animi polluuntur, propter diuturnã in sordibus uiuendi con- suetudinem nullam contaminationem animis afferre iudicaret, quàm Iudæi, ut id, quod speciem tantum, & umbram contaminationis haberet, tanquam re ue- ra contaminaret, abhorrendum ducerent. utrunque er- go prohibuit caritas, unum ad tempus, donec prorsus umbra illa per lucem uerbi fidei discuteretur; alterum in perpetuum, quia non in specie, sed re uera contami- naret. Ex quibus concludere licebit; etsi idem decre- tum utrunque prohiberet, & ut necessaria quæ fugerent qui primi fidem receperant, prohiberet; tamen diuer- sa ratione necessaria fuisse, & ob diuersam causam prohibita.

Q V A E S T I O L V .

AN Concilia posteriora exemplum huius Concilii Hie- rosolymitani in decidendis Ecclesiæ controuersis sunt secuta ?

R E S P O N S I O .

Q V O R V M quidem decreta rata sunt, habita apud po- pulum Christianum, omnia hanc formam nõ solum in
K ii controuersis

controuersis decidendis sunt secuta; sed eandem etiã formam in personis retinuerunt; ut eadem quasi personæ in posterioribus Conciliis, quæ in illo primo Hierosolymitano & præfuisse, & sententias dixisse, atque decreta fecisse recta, dici possint.

QVAESTIO LVI.

Q V O tandem modo id fieri posse intelligis, ut eadem personæ in omnibus legitimis Conciliis & præsent, & interfint, quæ in primo interfuerunt; cum constet, omnes illos, qui in primo illo Concilio interfuerunt, morte interceptos ne ad secundum quidem peruenisse?

R E S P O N S I O :

A T uero, qui in primo illo præfuit, & in omnibus aliis legitimis Conciliis præest, morti minime est obnoxius; immo sic ipse mortem domat, frangit, ac destruit, ut mors ea, quæ morti sunt subiecta, delet. Est uero hic Spiritus Dei, Spiritus Christi: cuius uirtute mortui suscitantur: per cuius potentiam Christus ipse suscitauit se ipsum est idem, qui docet, ac suggerit omnia, cum in publicis conuentibus, tum in priuatis, quæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem salutariter uel decernuntur, uel cogitantur. idem enim est, qui operatur in omnibus, & in singulis, prout uult. huius uero organa sunt omnes Ecclesiæ ministri. Quemadmodum autem hic in primo Concilio Petrum elegit, cuius ore loqueretur, quæ pertinebant ad fidem illam salutarem, per quã Ecclesia uniuersa, & in ea singuli stant, & confirmantur, tam Iudæis, quàm gentibus, & omni hominum generi: ita etiam Petri sedem elegit, quam
Apostolicam

1. Cor. 12.

Apostolicam esse uoluit, unde gentes, & nationes Petri fidem, ab eius successoribus eo modo explicatam, au-
dient, quo illa primitiis gentium ab ipso Petro fuit
exposita. sic etiam Episcopos priuatarum Ecclesiarum
elegit, & ceteros, quibus animarum curam commen-
dauit, ut eodem officio fungerentur in omnibus Con-
ciliis, & conuentibus ad confirmandam Petri fidem,
quo functi sunt reliqui Apostoli, & seniores in primo
illo Concilio Hierosolymitano; sic ut easdē quasi per-
sonas in omnibus legitimis Conciliis omni tempore &
præesse, & sententias dicere, atque controuersias dis-
soluere, ac denique decreta caritatis plena ad Ecclesiæ
utilitatem facere, uere affirmare possimus.

QVAESTIO LVII.

AN, ut quisque Petri fidem tenet, sic eundem etiam Pe-
tri locum in Conciliis, & in conuentibus tenere dicis?

R E S P O N S I O .

MINIME quidem. nec enim Petrus persona priuata
fuit, ut Simon Ioannis fuit: cuius personam gerunt sin-
guli, qui fidem Petri habent; & beati cum illo dicun-
tur; sed non propterea Petri personam gerunt. est enim
hoc nomen auctoritatis: quod post cōfessionem fidei,
quam is priuatus, ut Simon Bariona protulit, Christus
illi addidit, cum diceret: & ego dico tibi, (Simoni sci-
licet) tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ec-
clesiam meam. quod dum diceret, fecit etiam eum Pe-
trum, & petram, ex qua ad omnes priuatos beatæ il-
lius fidei doctrina, tanquam aqua salutaris, difflueret.
huius uero locum in Conciliis, & in uniuersa Ecclesia
obtinet,

Matth. 16

obtinet, qui Sedem Petri tenet : quæ eadem Sedes Apostolica appellatur, & Sedes Romani Pontificis. et ideo qui a Romano Pontifice mittuntur Legati, non tam Ioannis, aut Pauli, aut Leonis Legati dicuntur, quæ nomina esse possunt priuatorum hominum; quàm Legati Sedis Apostolicæ; tanquam si ab ipso non Simone, sed Petro mitterentur, Sedem Apostolicam tenente.

QVAESTIO LVIII.

QVID sibi uult nomen Sedis Apostolicæ?

R E S P O N S I O.

IDEM prorsus, ac si diceremus, cathedram Apostolicam. cathedræ uero nomen auctoritatem docendi significat, ut uerba Christi ostendunt, cum de iis loquitur, qui in cathedra Moyfi sederunt, idest de illis, qui auctoritatem habuerunt docendi, & interpretandi uoluntatem Dei in lege scriptam, quæ auctoritas Moyfi primum a Deo data fuit: cui nunquam successores defuerunt, qui eandem exercerent: de quibus dicit Christus: Super cathedram Moyfi sederunt scribæ, & Pharisæi. omnia ergo, quæcunque dixerint uobis, facite: secundum opera uero eorū nolite facere. dicunt enim, & non faciunt &c. Illam uero cathedram, quæ fuit cathedra legis, typum intelligimus fuisse eius cathedræ, quam Deus in Petri persona Romæ erexit: que fuit cathedra non legis litteræ, sed doctrinæ Spiritus; quæ per os omnium Apostolorum prædicata, cum totum orbem peragrasset, tandem Romæ sedem fixit: ubi sanguine duorum maximorum Apostolorum confirmata uidetur, & quasi testamēto relicta eius urbis Episcopis, qui

Matth. 23

qui eandem puram seruarent; ut inde, tanquam ex fonte quodam, rursus in orbem ad confirmandas ceteras Ecclesias deriuaretur, atque ideo Sedes Apostolica, Romana Ecclesia, uel cathedra Petri appellatur.

QVAESTIO LIX.

CVR potius Ecclesiam Romanam dicimus cathedram Apostolicam esse, & Petri Sedem, quàm Antiochenam, quàm Hierosolymitanam, in quibus etiam Petrum docuisse constat? De Hierosolymitana sane scriptum est, uerbum Domini exiit de Hierusalem &c.

Esa. 2

RESPONSIO.

QVIA illa potius Sedes Apostolica dicenda est, quæ finem peregrinationis utriusque Apostolo tum Iudæorū, tum gentilium dedit, ex qua seminato iam uerbo, eoq; ipsorum sanguine quasi rigato, & confirmato, ad sedem quietis sunt profecti; quàm ceteræ Ecclesiae, ex quibus illi uel cum uerbo primum egressi sunt, uel per quas transeuntes uerbi doctrinam seminarunt. exierunt uero ab Hierosolymis cum uerbo; & per Antiochiā idem uerbum seminantes transierunt, quod tum demum sedem suam fixam habuit in ea ciuitate, in qua ultimum, & maximum testimonium ueritati uerbi morte, & sanguine ipsorum dederunt. hæc autem fuit Romana ciuitas. Hierosolymitana uero fuit cathedra legis, & ideo cathedra Moysis est appellata. cū uero transactū esset tempus legis, & uerbum Euangelii a Iudæis relatoribus legis repulsum; tum quidem dixerunt Apostoli, Vobis oportuit primū loqui uerbū Dei: sed, quoniam niam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ,

Act. 13

uitæ, ecce cōuertimur ad gētes. Atque ita etiā fecerunt. demum uero apud primam sedem gentium primam sedem uerbi collocarunt. hæc autem sedes fuit Sedes Romana. et, hanc Dei uoluntatem fuisse, similibus argumentis ostendi, & confirmari potest, quibus Paulus, & Barnabas in Concilio Hierosolymitano confirmarunt Petri sententiam de introitu gentium ad fidem sine lege, nempe miraculis, quibus Deus hanc suam uoluntatem declarauit.

Q V A E S T I O L X.

Q V I B V S tandem miraculis declarauit Deus uoluntatem suam de sede Petri?

R E S P O N S I O.

P R I M V M quidem illo miraculo, quo sanctus ille uir, idemq; doctissimus, atque maximus, fidei, & gratiæ Dei prædicator, se in fide Ecclesiæ Romanæ maxime confirmatum scribit, cum, repetitis iam inde a Petri morte usque ad suā ætatem Romanæ urbis Episcopis, perpetua tot sæculorum serie succedentibus, quibus sæculis Ecclesia partim ab hæreticis, partim ab infidelibus grauissime fuit uexata, intelligeret, ceteris omnibus aliarum Ecclesiarum Episcopis sæpius deficientibus, Petri successores non modo nunquam a fide defecisse, quamuis omnibus Satanæ artibus tentati fuissent, sed ceteras Ecclesias, in fide uacillantes, semper confirmasse. Hoc quidem, ut maximo Dei prouidentia miraculo, diuus Augustinus scribit se in Romanæ Ecclesiæ fide retentum esse, atque confirmatum. Quod profecto eiusmodi est, ut, quo magis quis secum consideret

Iræn. idem as-
ferit.

consideret illorum temporum grauissimas Ecclesiae perturbationes, tanquam nauis periculofissimo tempestatis genere per tot annos iactatae, &, quibus confirman-
 tibus in fide controuersiae omnes tanquam tempestates sedatae semper fuerint, animaduertat, hoc certius uideat, in Petri successione uberius impletum fuisse quod Petro Christus promisit, quam in ipsius Petri persona. quod enim dixit Christus ad Petrum: Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos: etsi post effusum Spiritum sanctum haec promissio eam uim habuit, ut Petri fides nihil unquam titubarit, tamen post haec uerba cum Dominum suum abiuraret, eum non satis adhuc in fide firmum fuisse dicere possumus, nec uero multum laborasse post acceptum Spiritum sanctum in confirmandis fratribus in fide, qui omnes tum per eundem Spiritum, communiter illis datum, confirmati fuerunt. uel, si dicere uolumus, ab eo etiam in Concilio Hierosolymitano, sublata illa de fide, & lege controuersia, maxime fratres confirmatos fuisse: tamen, si quis comparet perturbationes Ecclesiarum, quibus multorum saeculorum continuatis aetatibus omnes ab haereticis, Satana cribrante, uexatae sunt; & simul consideret, quo pacto a Petri successoribus fides semper sit confirmata: clarissime uidebit, non minus uerba promissionis de firmitate fidei ad Petri successores, quam ad ipsummet Petrum pertinuisse, eiusdem certe uim in illis illustrius esse patefactam, & Romanae urbis Episcopos praecipue illo promisso fuisse comprehensos, atque in eodem illam urbem significatam, ubi firmam sedem fides Petri esset habitura.

Luc. 22.

Matth. 26.

L

Quaestio

R E G. P O L I

QVAESTIO LXI.

A N alia miracula afferri possunt, quæ hoc idem confir-
ment ?

R E S P O N S I O.

P L V R A quidem : illud uero maxime est insigne, quod
ex Egesippi, antiquissimi scriptoris, & temporibus Apo-
stolorum uicini, historia, diuo Ambrosio interprete,
didicimus. scribit enim, Petrum, Neronis sæuitiam de-
clinantem, idque hortatu fratrum de urbe relinquen-
da, ubi iam Christi pastoris uicario munere fungi cœ-
perat, cogitasse, atque adeo iam ad ipsam portam in fu-
ga progressum fuisse, cum ei Christus ea forma occur-
rit, qua solent peregrini ad urbem aduentantes : ad cu-
ius aspectum Petrum primum obstupefactum, ut se pau-
lulum collegit, ipsum interrogasse ; Domine, quò ua-
dis ? Dominum uero respondisse ; Venio Romam ite-
rum crucifigi. quo responso Petrum admonitum, fu-
gam repressisse, & in Urbem reuertisse. agnouisse enim
ex eo Domini uoluntatem, cum de genere mortis, qua
eum secuturus esset, tum etiam de loco, in quo per mor-
tem ipsum Dominum esset clarificaturus. Nec uero my-
sterio uacare, quod Romæ Petrus martyrii coronam tu-
lerit, uel illud declarat, quòd Hierosolymis eandem ac-
cipere Christus eum non permisit : uerum, ut illic cum
morti adiudicatus esset ab Herode, atque in carcerem
coniectus, uiam ei ad fugam patefecit, liberans eum per
angelum suum e manu Herodis, atque ex omni expecta-
tione populi Iudæorum ; sic, Roma ne fugeret, per se
ipsum uiam ei interclusit ; ut, palmam martyrii in princi-
pe gentium ciuitate accipiens, sedem etiam uerbi in
eadem

Egesippus lib.
3. c. 2.

Act. 12.

eadem constitueret. et sane de Paulo scriptum est in Actis, ei Christum dixisse, Oportet te & Romæ testificari de me. ut autem Christus ipse, cum adhuc in terris uersaretur, admonentibus quibusdam, ut caueret sibi ab Herode, quòd uellet eum interficere, respondit, Non capit Prophetam extra Hierosolymam perire: in hoc significans, eum, qui uenerat, ut legem, & Prophetas impleret, non alio in loco, quàm Hierosolymis, ubi tum cathedra legis, & Prophetarum erat, uitam finituum. sic etiam, cum Petrum, licet captum ab Herode, & in carcerem inclusum, Hierosolymis uitam finire non permiserit, & Romæ finire uoluerit, in eo sane uidetur Romam cathedram Euangelii Vicario suo futuram satis significasse. per mortem enim auctoritas cathedræ est constituta, & confirmata. mors enim, pro Christi præsertim nomine suscepta, in omnibus sanctis omnia gloriosa, quæ de illis prædicantur, confirmat; sic ut, quæ martyria nominantur, natalicia simul sanctorum nominentur. Et ideo etiam Christus eodem in loco, ubi apud Ioannem in Euangelio cathedram docendi Petro commendauit, dicens, & ter idem repetens; Pasce oues meas: statim subiungit, quæ ad mortem eius pertinent; Amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas: cum autem senueris, extendens manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò non uis: in hoc significans, ut interpretatur Euangelista, qua morte esset Deum clarificaturus. Hæc uero, quæ tū dixit Christus, a Petro nõ satis percepta, in hoc miraculo, cum e fuga eum reuocauit, omnia uidentur & repetita, & explicata, maxime uero, quòd Christus eo in loco subiungit, Sequere me. Secutus est enim

Act. 23

Luc. 13.

Ioan. 21.

tum Christum maxime Petrus, cum, eo dicente se in Urbem uenire, ut iterum crucifigeretur, fugam reprimens ipse in Urbem rediit, cruciꝫ; est affixus. cum autem hæc senior iam factus pateretur, eum ductum esse quò minime uellet, & ab alio cinctum, eidemꝫ; ab aliis manus extensas fuisse, plane constat. itaque omnium illorum Christi uerborum sententiam, quæ primum Petro dicta quasi ænigmata uidebantur, euentus rei clarissimam reddidit, & Petri cathedram Romæ Christi uoluntate positam perspicue ostendit: id quod magis etiã confirmant, quæ in eiusdem uerbis Episcopis, Petri successoribus, mirabiliter eadem diuina prouidentia Christus effecit, cum illis omnia, quæ Petro magna promiserat, modo quodam magis illustri præstaret, quàm ipsi Petro sunt præstita: eandemꝫ; hanc illorum sedem, quæ Petri cathedra appellatur, supra solium omnium Imperatorum, & supra tribunalia omnium Principum mundi in oculis omnium sublatam, quasi suo loco positam, collocaret.

QVAESTIO LXII.

QVAE fuere tandem illa, quæ Petro a Christo promissa, illustriori modo successoribus eius, quàm ipsi Petro, sunt præstita?

RESPONSIO.

PLURA quidem Petro Christus promisit, omniaꝫ; magna, & quæ uicariam illam Christi potestatem maxime significarent: quorum aliqua supra recitauimus: in quibus illa fuere maxima, quòd ei clauis regni caelorum cum potestate soluendi, & ligandi eminenter sint traditæ: quòd ipse conuersus, conuersurus esset fratres suos:

Matth. 16
Luc. 22.

suos: quòd eidem munus pascendi tam oues, quàm agnos, in promissione sit mandatum: quòd, cum a piscandi arte abduceretur, illud in promissis habuerit, Ex hoc eris homines capiens. Hæc uero omnia in Romanæ urbis Episcopis, illustriore etiam modo, magisq; admirando, quàm in ipso Petro, impleta, eos plane ueros Petri successores, & Sedem Romanam ueram Petri cathedram, diuina uoluntate constitutam, maxime confirmant. Quod uero ad illud ultimum promissum attinet, cum Petro Christus dixit: Ex hoc eris homines capiens; quod sane omnia complectitur, si uel Siluestri solius, Romanæ urbis Episcopi, acta spectemus: quis non uidet, maiore cum miraculo homines ab eo captos, & ad fidem perductos, quàm ab ipso Petro ullæ historiæ tradant?

Ioan. 21.

Luc. 5.

QVAESTIO LXIII.

QVO tandem modo id factum intelligis?

RESPONSIO.

HOC sane modo: quia, quos Petrus, quos etiam Paulus cepit, tales erant, quales Scriptura commemorat: de quibus Paulus ipse, prædam suam explicans, sic ad Corinthios scribit: Fratres, uidete uocationem uestram: quia non multi sapientes secundum carnem, nō multi potentes, non multi nobiles &c. Qui uero ab Episcopo Romano Siluestro capti fuerunt, aliud erat genus hominum: quod quidem captum Dei in Christo potentiam multo magis declarat.

1. Cor. 1.

Quæstio

R E G. P O L I
Q V A E S T I O L X I I I I .

Q V O D tandem illud genus hominum fuit ?

R E S P O N S I O .

Matth. 19.

I D E M sane, quod Christus significauit, cum dixit, facilius esse camelum per foramen acus introire, quam diuitem in regnum caelorum. Quo dicto cum ualde percussos discipulorum animos cerneret, ut subsequens eorum interrogatio declarat: statim enim eum interrogarunt, Quis ergo saluus esse poterit? sic eis Christus respondit, apud homines id quidem impossibile esse, apud Deum uero omnia esse possibilia: in hoc plane indicans, eximiam quandam Dei potentiam ostendi, cum diues aliquis ad fidem conuertitur. quod si diuites non sine eximia quadam Dei potentia conuertuntur: quanto maior potentia Dei ostenditur, cum ipsos diuitum Principes, ipsos Reges, & Imperatores ad fidem conuersos uidemus? quae Dei potentia incepit se primum ostendere in Siluestro, Pontifice Romano, maiore quidem cum miraculo, quam in ulla hominum piscatione a Petro facta. immo, quod ad Petrum attinet, ne unum quidem ex hoc hominum genere piscando ab ipso unquam captum fuisse hamo uerbi, memoriae proditum est. si uero magni miraculi loco narratur, quod de Petro, & sociis eius piscatoribus apud Ioannem est scriptum, eos, cum frustra in piscando noctem, nulla capta praeda, consumpsissent, ad uerbum Christi, primo mane se illis ostendentis, & in dextram rete eos proicere iubentis, tantam piscium multitudinem cepisse, ut iam non possent illud trahere praeter multitudinem piscium: si illud item, quod eodem loco, admirabilem Dei potentiam

Ioan. 21.

potentiam notans, adiungit Euangelista, Petro trahente rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, id scissum non esse: hæc quidem uidentur quasi typus quidam piscationis Siluestri, Petri successoris: qui re uera sicut rete Apostolicum in dexteram nauigii iecisse uidetur, Christo iubente; ut omnes superiores Pontifices, quod ad capiendos magnos illos pisces attinget, qui magni homines sunt, quasi nocte frustra piscando laborasse uideantur. ut enim maxime laborarint, nullos tamen ceperunt. Siluester autem, ad Christi uocem in uirtute eius uerbi rete in dexteram iacto, magnum illum Constantinum cepit: & cum eo non centum dūtaxat quinquaginta tres, sed chiliades magnorum hominum, tanquam magnorum piscium, cepit, atque e turbulento & naufrago huius mundi pelago ad terram traxit. Nec uero tam insigne miraculum fuit, quod uerbi Christi potentiam declararet, Constantinū in rete fidei inclusum, & captum cum tot magnis uiris fuisse, quàm quòd captus e rete non statim exiluerit; & quòd fidem, tanquam rete, tot magni pisces non disciderint, ac diruperint. non minus enim admirabilem Christi potentiam fuisse intelligimus in retinendo Constantino, & reliquis simul cum eo per uerbum fidei captis, quàm in ipso primum capiendo, in quo Christus ostendit magnam illam uirtutem uerbi, quam Vicario suo, Petri successoris, dedit; per quam in fide ut capti, sic retenti magni isti uiri, tanquam magni pisces, fuerunt.

QVAESTIO LXV.

Q V A M ob causam dicis, maius miraculum fuisse in
retinendo

R E G. P O L I

retinendo Constantino in fide ; quàm in eodem per
uerbum fidei capiendo ?

R E S P O N S I O .

O B hanc sane , quòd , qui focii , & adiutores ipsi Silue-
stro , Petri successori , & Christi Vicario , ad Constan-
tinum in fide & caritate retinendum esse debuissent ;
iidem ante eius oculos quasi naufragium ipsius fidei , &
caritatis fecisse uisi sunt . ii uero fuerunt reliqui Episco-
pi , piscatores hominum , quos Petri successor adiuto-
res sibi , & socios accersuerat . cum enim duo sint , quæ
maxime homines intra Ecclesiæ rete inclusos retineãt ,
fides , & caritas , ex quibus rete ipsum Episcoporum ,
quo homines capiuntur , est confectum : cum ipsi pisca-
tores hoc sibi rete e manibus elabi permiserint , se ipsos
simul in mare proiicientes ; quid de præda iam sperari
potest ? hoc uero factum in Concilio Niceno legimus .
in quo cum Silvester , Petri successor , Constantinum
cum ceteris magnis uiris , quasi magnis piscibus , in hoc
rete fidei & amoris inclusum , ad terram e fluctibus mun-
di trahens , ad hoc opus quasi adiutores ceteros Episco-
pos , ut facilius traheret , accersiuisset : hic primum tan-
ta contentio inter ipsos Episcopos est exorta cum de fi-
de , tum priuatis etiam de causis , ut prorsus hoc rete fi-
dei , & caritatis e manibus piscatorum elapsum appare-
ret . Quare , si præda simul elapsa fuisset , quid mirum ?
quòd si unus tantam uim ad retinendum habuit , ut si-
mul prædam ad terram trahere potuerit ; quod maius
miraculum dici potest ? sed , ut apertis uerbis dicamus ,
quid mirabilius , quàm quòd ipse Constantinus , adhuc
in fide recens , cum tantam de præcipuo fidei capite
sententiarum

sententiarum uarietatem inter ipsos Episcopos, præcipuos uerbi fidei prædicatores, uideret, eosq; ex mutuis querelis uacuos caritate facile iudicaret, non uel fidem reiecerit uel, si illam ex dono Dei se habere probarit, homines saltem, qui huius prædicatores essent, caritate uacuos cernens, non contempserit. cum uero neutrum eum fecisse constet, quippe qui in fide constans, homines ipsos propter mutuas eorum contentiones non modo non contempsit, sed dignam materiam ad suam simul fidem, & caritatem exercendam, atque declarandam iudicauit: quis non in hoc agnoscat potentiam uirtutis Dei in Siluestro, successore Petri, ad Constantinum in terram, saluo ipso rete, trahendum; cum non solum ipse neophytus in tam ualidis contentionibus, tanquam uentis agitatus, non defecerit, sed sua fide, & caritate reliquos omnes confirmarit, ab illius scilicet successore confirmatus, pro cuius fide ne deficeret, Dominus orauit? Hic uero, id est in hoc Concilio Niceno, in quo Constantini fides explicata simul est, & confirmata, dicere possumus, lapidem illum, reprobatum ab hominibus, præcipue uero ab Regibus reiectum in caput anguli, a Deo fuisse electum, atque erectum, eiq; locum suum supra omnium Principum, & Regum terræ, atque Imperatorum tribunalia sublimiorem datum: quod tum factum intelligimus, cum Petri cathedræ gloriam Deus per Constantinum illustrauit. Hæc autem quo modo se habeant, clarius, ut spero, in sequentibus exponemus.

Psal. 117

QVAESTIO LXVI.

QVID tandem sibi uult, quod dixisti, petram ab
 M hominibus

hominibus reprobata, in Concilio Niceno primū in caput anguli erectam fuisse? an non statim a Christi resurrectione aliquot sæculis ante Nicenum Cōcilium id factum fuit? an non Christi uerba illa, quæ prima post resurrectionem cum discipulis habuit, hoc declarant? cum dixit, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. hoc enim mors Christi effecit. qua de re loquēs Apostolus ait: Quia fuit obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis; ideo Deus exaltauit illum, & donauit illi nomē, quod est supra omne nomē, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Quid ergo ad tantum honorē addere Nicenum Concilium potuit?

Matth. 28

Philip. 2.

R E S P O N S I O .

NIHIL prorsus. nec uero ullum Concilium, quamuis sanctum, nec ulla hominum decreta, quamuis iusta, & pia, ad Christi honorem, qui coram Deo semper splendet, quidquam uel addere possunt, uel detrahere: sed in oculis hominum magis minus uel eundem possunt declarare, & illustrare. quo magis uero is illustratur in oculis hominum, hoc clarius homines fontem uident æternæ suæ salutis. quamobrem Christus, suorum salutem patri commendans, his uerbis eum precatur: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut, ubi sum ego, illi sint; ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionē mundi. Quod ergo diximus, petram ab hominibus reprobata, in caput anguli erectam primum fuisse in Concilio Niceno, hoc sic intelligimus, tum primum in conspectu omnium gentium id declaratum fuisse, quod statim a resurrectione

Ioan. 17.

Luc. 24.

resurrectione Christi in conspectu Angelorum, & paucorum testium præordinatorum factum fuit, & cognitum. nec enim ante illud tempus dicere possumus, petram illam in caput anguli prorsus in oculis hominum erectam fuisse, quàm diu ipsa gentium capita, ipsi Reges, & Imperatores terræ non modo Christum, tanquam caput suum, non agnouerunt, sed ipsum ubique oppugnarunt; & simul cum gentibus contra eum, & eius legem, ac discipulos fremuerunt, dicentes, Dirumpamus uincula eorum, & proiciamus a nobis iugum ipsorum. Hoc uero non solum impie dixerunt omnia gentium capita iam inde a Christi morte usque ad Constantinum ad fidem conuersum, sed crudeliter, nefarieq; patrarunt, ipsos Christi seruos, tot annorum perpetuo cursu, persequendo, omniq; suppliciorum, & mortis genere afficiendo. Quare, cum Constantinus primus fuerit, qui hunc gentium fremitum sua auctoritate, & exemplo compescuit; qui Christum non solum ut Prophetam magnum, sed ut uerum Deum agnouit; fascesq; imperii ei, tanquam Domino, & Deo suo, summisit: (hoc enim eum fecisse in Concilio Niceno, Acta ipsius Concilii declarant) hic primum lapidem illum, ab ædificantibus reprobatum, in caput anguli, spectantibus gentibus, & nationibus, erectum fuisse, dicere possumus; & tum primum in possessionem promissæ a Deo patre hereditatis, de qua est scriptum apud Prophetam: Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Christum peruenisse, cum ipsa capita gentium, ipsos Imperatores, qui se primum gentium dominos appellabant, in possessionem, tanquam seruos fugitiuos e-

Ioan. 20.
Marc. 16
Matth. 28.]
Act. 10

Psal. 2.

Psal. 2.

M ii fuga

fuga retractos, recepit. cum uero fructum huius possessionis Christus ipse, ut rerum experientia docet, Romanis Pontificibus, Petri successoribus, dederit, per quorum ministerium hanc hereditatem est adeptus: cum omnia, quæ apud Prophetas, de gentium obedientia erga Christum, & Ecclesiam uaticinantes, sunt scripta de earum muneribus, & donariis, quæ ad hanc ipsam obedientiam, & seruitutem declarandam oblaturæ essent, in Romana Ecclesia perfecta esse uideamus, ad cuius Pontifices, tanquam ad Christi Vicarios, tot sæculorum serie gentes undique confluere solitæ sint, siue quid cum Deo agendum sit, siue cum proximo: in his, quæ ad pietatem pertinent, illorum tribunal tanquam supremum in terris tribunal, & Christi ipsius tribunal agnoscentes: quid hic aliter dicere possumus, quàm, quod res ipsa loquitur, in Sede Romana primum conspectam esse Christi gloriam apud gentes? in ea completum esse, quod Esaias, prærogatiuam huius Ecclesiæ explicans, futurum prædixit his uerbis: Super te autem oriëtur Dominus; & gloria eius in te uidebitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Hæc enim magnifica promissa, quæ in aliis Ecclesiis persoluta non uidemus, Ecclesiæ autem Romanæ clarissime, & abunde præstita sunt, quid aliud ostendunt, quàm hanc Sedem uoluntate Dei esse constitutam, in qua quidquid honoris gentes, & omne genus hominum, quidquid obedientiæ filio suo præstaturæ essent, in oculis omnium conspiceretur, ac plane intelligeretur, omnem potestatem cum in cælo, tum in terra Christo fuisse datam propter obedientiam mortis ab eo in cruce exhibitã? quod

Esa. 60
Psal. 44. & 61.

Esa. 60

quod enim Romanæ Sedis Episcopis tributum fuit, nō illis quidem, sed Petro tributum fuit. nec uero Petro hoc tributum fuit, nisi quatenus Vicarium Christi locum Petrum tenere nouerant. quod autem Vicario honoris tribuitur, non illi, sed ei, cuius personam gerit, tribui satis constat: ut hoc etiam constat, cum, domini absentis uoluntate, honores domini seruo tribuuntur, in hoc quidem ab ipso domino seruum illum uicarium suum esse constitutum. Domini uero uoluntatem fuisse, ut Petri successoribus ii honores externi tribuerentur, qui sibi in terris debebantur, magis declarabimus, postquam aliqua Prophetarum oracula recensuerimus, quæ de futura Christi, & Ecclesiæ gloria inter gentes, multis ante sæculis scripta sunt, quàm Roma iugum Christi suscepisset; & eadem quo pacto in ipsa Romana Ecclesia, & in eius Episcopis tandem perfecta fuerint, ostenderimus.

QVAESTIO LXVII.

QVAENAM sunt hæc Prophetarum oracula?

RESPONSIO.

PLVRA quidem passim in Prophetarum scriptis inueniuntur, quæ gloriam Christi, & Ecclesiæ inter gentes futuram prædicant. nos uero ea tantum, quæ apud Prophetam Esaiam leguntur, proferemus, qui clarius ceteris, & distinctius, non solum quæ ad gloriam Christi in terris pertinent, describit, sed etiam, quæ ad afflictiones, quas semper præponit, & quæ se mutuo semper consequuntur, inuicem coniungit. Hæc autem quæuis ad Christum ipsum, unicum caput, & ad uniuersam

fam

Esa. 60.

Luc. 19.

Matth. 23.
Eph. 2.

sam Ecclesiam, quæ est corpus eius, pertineant: tamen, si illustrius, & eminentius in Romana Ecclesia, quàm in aliis, cum ea, quæ ad afflictiones, tum uero quæ ad gloriam pertinent, impleta esse constet; eadem profecto illam in uniuersa Ecclesia capitis Vicarii rationem, & auctoritatem obtinere perspicue declarant. huius uero generis sunt, quæ de gentium primum, & Regū conuersione, & obedientia futura, ex eodem Propheta paulo ante recitauimus, cum dicit, Ecce tenebræ operient gentes, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Hæc autem quis legens, si oculos simul, et aures ad ea conuertat, quæ uel in Romana Ecclesia uiderit, uel de illius Actis scripta legerit, aut acceperit, non statim agnoscat in illa perfecta esse ad uerbū omnia, quæ hic Esaias tot ante sæculis futura prædixit? quæ in nulla alia Ecclesia conspici possunt, ne in ipsa quidem Hierosolymitana, de qua nominatim loqui Propheta uidetur. nec uero non uera sunt omnia, si ad Hierosolymitanam Ecclesiam referantur, uerum non ad illam, cuius lapides, & structuras Christus uidens fleuit, cum diceret; Veniet tempus, cum nō relinquent in te lapidem super lapidem &c. nec uero etiam ad illam, quam Moyse cathedram postea Hierosolymis positam gubernabat; sed ad eam, quæ uiuis ex lapidibus structa creuit in templū Domini, quæ a Spiritu sancto est gubernata. nam quæ Hierosolymis ædificata fuit Christi Spiritu Ecclesia, hæc Romam per Petrum & Paulum Apostolos est translata. hi enim Principes Hierosolymitanæ Ecclesiæ Romam cathedram suam transferentes, eò simul omnem gloriam

gloriam, Hierosolymitanæ Ecclesiæ promissam, transfulerunt. quibus recte illud Prophetæ accommodari potest: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram. Filii enim Hierosolymitanæ Ecclesiæ Principes super omnem terram constituti sunt, cum, relicta paterna urbe, & paternis traditionibus, ac ritibus, quæ in Christo finē habuerunt, per Christi uirtutem Romanos ipsos, rerum dominos, iugo fidei ad Christi gloriam subiecerunt. Hanc uero illi gloriosam uictoriam non statim sunt consecuti; sed multa ante passi, & per aliquot sæcula omni genere calamitatum, & contumeliarum ab ipsis Principibus affecti. sic enim ad hanc gloriam inter gentes peruenit Romana Ecclesia, ut Christus ad suam; qui, multa primum passus, ascendit in gloriam patris. ita Ecclesiæ Romanæ rectores cum plus malorum habuissent ceteris omnibus Ecclesiarum rectoribus, quo propius aberant ab ipsis afflictionum fontibus, Romanis scilicet Imperatoribus, quorum edictis omni genere calamitatum Ecclesiæ premebantur; tandem ad Christi gloriam in terris peruenerunt; ut in omnibus Deus ostenderet eos fuisse ueros filii sui Vicarios. sic enim per trecentos fere annos continuos a Petri morte usque ad Constantinum Imperatorem ab ipsis Imperatoribus sunt uexati, ut tot annorum spatio, cum nunquam deessent, qui Petri cathedram perpetua seriē succedentes regerent, uix tres numerari possint, qui sua morte interierint, sed omnes ab Imperatoribus sint interfecti. nec tamen interim sine uictoria fuerunt: uerum in mediis afflictionibus multos populos, in hisq; multos Romanos uicerunt; sic ut in ipsa urbe Roma cathedram etiam suam ponerent.

sed

Psal.44.

Luc.24.

Esa. 60

sed obscura adhuc gentibus uictoriæ gloria, & apud maiorem ciuium partem ignobilis, & contempta hæc cathedra fuit: quã Deus tandem ad honorem filii sui primum in uictoria Siluestri de Constantino, deinde posterioribus sæculis sic ornauit, atque illustrauit, ut, quæ uetus Hierusalem de iis, quæ ad gloriam, & diuitias mundi pertinerent, a Prophetis promissa expectabat, (& consecutura quidem erat, si in obedientia, & fide permanisset: ad hanc enim refert Esaias omnia sua uaticinia, quæ magna illa promissa continebant) hæc omnia ad Romanam Ecclesiam, eius filiam, in fide fundatam, matre propter infidelitatem exhereditata, aperte constet esse translata, eidemque donata. Hæc uero nunc ipsa Esaiæ uerba, quæ recitabimus, magis explicabunt, & confirmabunt, si res uerbis comparentur, & ad rerum normam, quas omnes gentes in Romana Ecclesia multis sæculis uiderunt, ipsa uerba examinētur.

QVAESTIO LXVIII.

QVAENAM sunt illa, quæ uetus Hierosolyma expectabat per Prophetam Esaiam Ecclesiæ sub nomine Hierusalem prædicata, & promissa, in quibus, Romana Ecclesia, priuata omni hereditario iure Hierosolymitana, heres permanfit?

RESPONSIO.

PLVRA quidem sunt, ut supra diximus: nos uero ea sic in pauca contrahere possumus, si benedictiones interiores, & spirituales (ut more Ecclesiæ loquamur) simul cum externis, & carnalibus benedictionibus coniungamus. utraque enim Hierosolymitanæ Ecclesiæ sunt
promissa

promissa; quæ quia, spretis spiritualibus benedictionibus, corporales solas mente, & uoluntate sequebatur, utrisque simul priuata fuit. Romana uero quia spirituales sibi tantum proponebat, utrisque abundauit. sed hæc ordine quodam, & eodem, quem seruat Propheta, examinantes persequamur: ut uideamus, quo pacto, quæ Ecclesiæ, & populo Israel sub nomine Hierusalem promissa olim fuerunt, in Ecclesia Romana tandem gentibus sint persoluta.

QVAESTIO LXIX.

QVIDNAM primum locum in illis promissis obtinet?

RESPONSIO.

HOC sane, quod nomine foederis appellatur apud Prophetam, cum dicit in persona Dei: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo. hic enim spiritus est fundamentum omnium promissorum. est uero spiritus fidei, quem dicit Apostolus communem sibi fuisse cum antiquis patribus, cum ait: Habentes autem eundem spiritum fidei, credimus: propter quod & loquimur. loquitur autem uerbum, quod posuit Deus in ore eius: quod non est uerbum litteræ, quale fuit ueteris Hierusalem, sed uerbum spiritus: quod, inquit idem Propheta, non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui, a modo usque in sempiternum. Est uero idem uerbum, pro quo Christus, Ecclesiæ suæ Vicarium pastorem alloquens, dicit se orasse, ne deficeret. Hoc ergo primum est in promissis, quod præcipue persolutum esse in Romana Ecclesia, lumen, quod per ipsam ceteræ

Esa. 59.

2. Cor. 4.

Esa. 59.

Luc. 22.

N

Ecclesiæ

Esa. 60.

Ecclesiæ consecutæ sunt, atque illius perseueratio in fide satis declarat. sequuntur enim statim in Propheta post hoc promissum uerba Dei ad Hierusalem: Surge, illuminare; quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. Deinde quia cum hoc spiritu fidei est coniunctus spiritus dilectionis, qui est maxime prolificus, statim adiungitur in promissis: Leua in circuitu oculos tuos, & uide: omnes isti congregati sunt: uenerunt tibi: filii tui de longe uenient, & filia tuæ de latere surgent. tunc uidebis, & affluēs: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa ad te fuerit multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi &c. Hoc ergo promissum numerosæ proles coniunctum est cum priori: post quod quasi ultimo loco sequitur, Adducam filios tuos de longe, argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te. Hic uero si quæramus, quem Propheta alloquatur, quam Ecclesiam appellet, cum dicit, Leua in circuitu oculos tuos, & uide: omnes isti congregati sunt: uenerunt tibi &c. Hic res ipsa, euentus rerum sic pro Romana Ecclesia respondebit, ut non alia interpretatione opus sit. omnes enim, qui uel ad successum rerum in Romana Ecclesia respicere uelint, statim hæc omnia ei cumulate præstita uidebunt, ac persoluta. nec enim ulla maiorem spiritum fidei habuit, nec firmiter in fide præstitit: nulla plures filios per uerbum genuit, aluit, confirmauit: nulla rursus maiores opes, maiores honores adepta est. nec enim ulla unquam Ecclesia ad hunc honoris gradum ascendit

ascendit, ut de ea dici posset, quod sequitur in promissis apud Prophetam: Gens, & regnum, quæ non seruiet tibi, peribit. Quàm uere autem hoc dicatur de Ecclesia Romana, consensus regnorum, & gentium, ad eius obedientiam salutis suæ causa certatim olim accedentium, satis ostendit. Quod uero eodem loco additur, Et uenient ad te curui filii eorum, qui te humiliauerunt, & adorabunt uestigia pedum tuorum: quàm multis ante sæculis in Ecclesia hoc uidimus, quod etiã nunc uidemus, nempe filios Regum, & Imperatorum, quorum maiores olim omnibus modis eam uexarunt, curuos, & uenerabundos ad osculum pedum Romanorum Pontificum, Petri successorum, accedere? Quò pacto autem hæc eadem Ecclesia & mamillis Regum sit lactata, & lacte gentium nutrita, quæ sequuntur in uerbis Prophetæ, Diuitiæ, & opes in ipsam uoluntaria oblatione Principum, & populorum congestæ, satis declarant. Hæc uero nunc satis sint dicta, ut cū oraculis Prophetarum, tum uero testimonio euentus rerum concludamus, Ecclesiam Romanã uoluntate Dei Principem, & matrem Ecclesiam esse constitutam, in qua in conspectu omnium gentium gloria filii eius in terris conspiceretur, & quæ eundem locum in nouo populo, ex omni genere hominum congregato, teneret, quem tenuit Hierosolyma in ueteri, qui ex una tantum natione constabat: id est, ut caput omnium aliarum Ecclesiarum existeret, ipsique Hierosolymitanæ ciuitati in hereditate promissorum succederet, atque eandem appellationem haberet, quam olim ea sibi soli uindicauit: quam significat Esaias, cum dicit, Et uocabit te ciuitatem Domini Sion sancti Israel.

N ii

Quæstio

R E G. P O L I
QVAESTIO LXX.

AN, si eundem apud nouum populum locum Romana Ecclesia obtinet, quem apud ueterem Hierosolyma obtinuit, etiam ne illam unicum locum, quò populus conueniret ad adorandum, a Deo electam dicemus? talem enim a Iudæis, & uetere populo Hierosolimytanam ciuitatem habitam fuisse constat.

R E S P O N S I O.

Ioan.4.

Malach.1.

MINIME id quidem. uenit enim hora, inquit ipse Christus, a quo & uerum adorandi modum, & uirtutem accepimus: quando non in monte hoc, Samaritæ scilicet, (ex opinione Samaritanorum loquens) neque Hierosolymis, ut putabant Iudæi, pater adorabitur, sed in spiritu, & in ueritate: quod tantundem est dicere, remotis umbris, in ueritatis luce, nullo certo præscripto loco. adoratio enim, quæ certum sibi locum præscribit, adoratio est umbratilis, non uera, nec spiritualis. nec enim spiritus, qui nihil spectat in adorando præter eum, qui est ubique, & omnia implet, ullo certo loco includi potest. atque ideo hoc tempus ueræ, & spiritualis adorationis præuidens spiritu Propheeta Malachias dicit in persona Dei, In omni loco offertur nomini meo oblatio munda &c. Quare in hoc similem Romanam Ecclesiam, quæ in luce, & super montem est posita, Hierosolymitanæ, quæ in umbra fuit fundata, dicere non possumus, uerum in eo simillimã, quòd, ut ab ipsa Hierosolymitana doctrina & modus umbratilis illius adorationis petebatur, quæ se tanquã magistrã uniuerso illi populo Dei præbebat, cum in cultu Dei docendo, qui illi tempori conueniebat, tum
in

in corrigendis, atque castigandis iis, qui ab ea forma, quæ in Moyſis cathedra docebatur, difcedebant: parem, atque adeo maiorem auctoritatem, (quanto ſcilicet maiori in re uerſatur quæ omnem rationem ueræ, & ſpiritualis adorationis complectitur) Eccleſia Romana tenet: quam quidem auctoritatem tot iam ſæcula in nouo populo, per uniuerſum orbem diſperſo, exercuit, ut rerum euentus iam inde ab eo tempore, quo Petri cathedra illic eſt poſita, ſingulis ſæculis declarauit, quibus tot hærefes, tot ſchiſmata, tot abusus in ritibus, & moribus Eccleſiæ, eiufdem unius auctoritate ſublata ſunt, & uera doctrina una cum optima morum diſciplina in Eccleſia conſtituta: eamq; ut magiſtram in omnibus, quæ ad religionem, & pietatem pertinent, omnia generalia Concilia ſemper agnouerunt.

Q V A E S T I O L X X I .

A N Concilia ipſa generalia hanc prærogatiuam Romanæ Eccleſiæ ſemper agnouerunt?

R E S P O N S I O .

I L L A quidem Concilia, quorum acta rata, & probata in Eccleſia catholica fuerunt, ex quibus aliqua expreſſis etiam uerbis hoc declararunt. nulla autem ſua acta rata unquam fore iudicarunt, niſi eadem auctoritate Romanæ Sedis eſſent confirmata. quo nullum maius argumentum eſſe poteſt, omnia Concilia tanquam principem Sedem, & magiſtram, ac caput Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſemper agnouiſſe. quanquam nõ illa quidem a Conciliis auctoritatem ſuam ſe habere agnoſcit, nec uero ab ullo populi conſenſu, aut principis uoluntate;

Egesippus lib.
3. c. 2.

Hist. ecclesiasti
ca lib. 1. c. 23.

Act. 12.

uoluntate; sed illam a Christo in Petri persona sibi primum promissam, deinde uero se in plenam eius possessionem uenisse tum, cum Petrus, postquam Romæ aliquot eam annos exercuisset, tandem fugam ex Vrbe parans, ut dictum est, quasi cathedram aliò translaturus, ne id faceret, a Christo est prohibitus: qui fugam eius reprimens, ei que in Vrbe moriendum fore significans, cathedræ simul sedem firmam eodem in loco futurã declarauit: quam maxime confirmauit Pauli primum prædicatio in Vrbe, deinde martyrium eodem in loco, & die, quo Petrus est mortuus. illum autem cum diuina prouidentia non minore cum miraculo Hierosolymis ex insidiis Iudæorum, & morte liberarit, quam Petrum e manu Herodis in eadem Vrbe; nec uero passa sit, ut aut ibi, aut in Asia, ubi quotidie se mori scripsit, uitã finiret, sed e tot periculis, atque adeo præsentis morte cum toties liberarit, & eò reseruarit, ut Romæ tandem martyrii coronam acciperet: in hoc quidem satis uideatur significasse, in horum duorũ coniuncta morte, quorum alter gentium Apostolus, alter præputii dicebatur, eandem utriusque populi, atque ita uniuersi populi Dei futuram magistram Ecclesiam, ad quam omnes, tanquam ad unam Sedem Apostolicam, conuenirent: omnes autem Ecclesias per orbem dispersas tanquam in unam coaluisse, quarum caput esset illa, quam capita Apostolorum sua & doctrina, & morte fundarunt. Hanc uero Dei uoluntatem, & consilium fuisse, ut hæc una caput esset, euentus postea rerum tot Regum, populorum, & Conciliorum generalium sequentibus sæculis consensus certissimum testimonium omnibus nõ contentiosis dare potest. Atque hæc quidem hæctenus,
quæ

quæ sine uerborum contentione auctoritatem Romana Ecclesiæ cum in uniuersa Ecclesia , tum in Conciliis generalibus ostendant. Qui autem modus fuerit huius prærogatiuæ potestatis exercendæ, in exemplo Petri, qui Concilio Hierosolymitano interfuit, & præfuit, ut potuimus, iam ostendimus. hoc uero illud Concilium fuisse intelligimus, ex quo cetera omnia exemplum, & formam capiant, ad quam omnia sua decreta dirigant. nec enim in summa aliud continent posteriora Concilia, quàm uel explicationes immutabilis illius fidei regulæ, quam primum illud Hierosolymitanum Conciliũ præscripsit, uel decreta caritatis, quæ nulla certa regula contineri potest, ut quæ omnia omnibus se facit. in ceteris autẽ Conciliis, quod ad personas attinet, quæ iudicandi partes habent; idẽ sane genus personarum interesse solet, quod in primo iudicasse, & decidisse omnes controuersias legimus; ita ut interpretationes, & simulacra quædam illius unius omnia posteriora Concilia recte dici posse uideantur.

QVAESTIO LXXII.

A N Nicenum Concilium formam illam Hierosolymitani Concilii seruauit, & quod ad materiam attinet, & quod ad personas?

RESPONSIO:

E A N D E M prorsus. quod enim præcipue tractatũ fuit in Niceno Concilio, ad explicationem illius fidei pertinebat, quam Petrus in primo illo Hierosolymitano est professus. nec uero aliam materiam consultandi habuerunt tria illa posteriora Concilia, quæ una cum Niceno a sancto illo uiro Gregorio, Petri successore, non
 minori

R E G. P O L I

minori in ueneratione habebantur, quàm ipsa quattuor
 Euangelia, ut quæ ipsam Euangelii summam explica-
 rent, & summam fidei Petri, expositæ in Hierosolymi-
 tano Concilio. nec enim uel Nicenum, uel tria sub-
 sequentia Concilia cum diuinitatem filii, & Spiritus,
 & utranque naturam perfectã in filio explicarent, aliud
 explicabant, quàm Petri fidem, in primo illo Concilio
 expositam. omnes autem de fide quæstiones, quæ con-
 sueto more Ecclesiæ primum locum in materia Conci-
 liorum obtinent, huc semper spectant. cetera uero, quæ
 uel in Niceno Concilio, uel in aliis sunt tractata, omnia
 pertinent ad disciplinã in Ecclesia constituendam: quæ
 hunc finem habet, ut omnis confusio, quæ dissensio-
 nis est parens, uitetur, & ordo caritatis seruetur; quod
 alterum est ex illis duobus, quibus diximus omne offi-
 cium pastoris contineri; ut scilicet gregem accubare fa-
 ciat. hoc uero pertinet ad uerbum caritatis, quod in se
 omne genus canonum continet. nec enim aliud sunt
 canones, quàm regulæ quædam, disciplinam morum,
 & ordinis in Ecclesia complectentes. quæ omnia a Spi-
 ritu dilectionis ad ostensionem fidei proficiscuntur.
 Priores uero partes pastoris sunt eæ, quæ ad uerbum fi-
 dei proprie pertinent, per quod grex in pascua introdu-
 citur. his porro duobus omnium Conciliorum mate-
 riam contineri, eorum acta, & decreta perspicue decla-
 rant: quæ omnia exemplum, & formam habent a pri-
 mo illo Concilio Hierosolymitano. quòd si in perso-
 nis, quæ in illo interfuerunt, & in Niceno, atque in po-
 sterioribus aliqua uarietas uideatur: tamen non tanta
 est, ut propterea negemus, primũ illud tanquam exem-
 plar posteriorum Conciliorum nobis a Spiritu sancto
 fuisse

fuisse propositum, quò, tanquam ad archetypum, respicere reliqua omnia deberent.

QVAESTIO LXXIII.

QVOD NAM genus hominum est, quod in posterioribus Conciliis interfuit, cuius in primo nulla habetur mentio?

RESPONSIO.

EST quidem illud genus hominum, quibus supra diximus difficillimum fuisse in regnum Dei ingressum: idq; ex testimonio Christi confirmauimus, cum ait, Facilius esse camelum introire per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorum. nam si diuites priuari (de his enim tantum loquebatur tum Christus) tantam difficultatem ingrediendi inueniebant; quanto maiorem hi diuites inuenturi erant, qui supremos magistratus gererent, circumfluentes non solum diuitiis, sed honoribus, & uoluptatibus, omnibus denique rebus, quæ hominem tumidum reddunt, & inflatum, ne per angustam fidei portam intrare possit? quales sunt Reges, Imperatores, ac Principes huius mundi; qui aliquot sæculis post Concilium Hierosolymitanum, uix ostium fidei apertum inuenerunt; & ideo de illis in primo illo Concilio nulla mentio est facta. hoc uero magnum diuinæ potentiae in Christi nomine miraculum Petri successoribus, ut supra diximus, reseruabatur, quod per manus Siluestri in Cōstantini conuersione est ostensum. nec enim minus miraculum hoc fuit, quàm si leones, & ursos, aut tigrides habitare simul cum agnis uideremus. id quod futurum Esaias prædixit, de conuersione Principum huius mundi uaticinatus; quos, suo

O loquendi

Matth. 19.

loquendi more, urfos sæpe, & leones, ac pardos appellat, nominibus utens maxime eorum actiones exprimentibus. tales enim re uera extiterunt in gregem Dei fere omnes mundi Principes, præcipue uero Cæsares, usque ad Constantini conuersionem: in qua tam insigne editum est miraculum, ut, qui ante greges dissipauerant, & deuorauerant, per Dei uirtutem ad Christum conuersi, ad tuendum ipsum gregem Domini custodes efficerentur. talem enim se præbuit Constantinus in Nicena synodo, tales posteriores Imperatores in posterioribus. et hinc sane ortam dicimus uarietatem personarum, quæ in primo, & in posterioribus Conciliis inuenitur. quanquam quidem non hæc eiusmodi est, ut propterea formam mutatam dicamus, præsertim cum illi ipsi, qui cognoscendi controuersias, decidendi, statuendi, ac componendi partes in primo Concilio habuerunt, semper easdem in sequentibus tenuerint. nec uero in ullo legitimo Concilio unquam mutati sunt. in his enim posteriora primi illius exemplum semper sunt secuta. Imperatorum autem persona postea adiecta fuit sine ulla mutatione earum personarum, quæ in primo Concilio interfuerunt, idque maximo diuinæ potentiae miraculo. ac suum quidem locum, & munus a Deo in conciliis Imperatores assignatum habent.

Q V A E S T I O L X X I I I I .

Q V O D tandem hoc munus est?

R E S P O N S I O .

V T Christi, filii Dei, uicarias partes gerant. hoc enim munus Imperatoribus, Christi fidem professis, Deus ipse pater assignauit.

Quæstio

QVAESTIO LXXV

QVO modo Cæsares in Conciliis generalibus Christi uicarias partes agere, idque Deo ipso iubente, dicis, si, easdem proprias Romani Pontificis esse, omnia, quæ hætenus de eius auctoritate in Ecclesia dixisti, confirmant, consentientibus cum Scripturis, tum miraculis, quibus suam Deus hac in re uoluntatem declarauit?

RESPONSIO.

NON quidem sic proprium dicimus Romani Pontificis, uicarias Christi partes in Conciliis agere, ut omnes ipse Christi partes in Ecclesia occupet, nullas aliis relinquat. immo, cum nullus sit in Ecclesia, qui nõ aliquod sibi munus a Deo assignatũ habeat; (nec enim mēbra otiosa in ea Deus constituit) quatenus quisque in suo munere quidquid facit, ad honorem Dei refert; (nemo autem in suo quidquam, sed omnes in nomine Domini omnia agunt: hoc enim Christiana regula docet) eatenus Christi Domini uicarias partes, cuius uirtute omnia, quæcunque Deo patri sunt grata, peraguntur, eum gerere recte dicemus. Ita Pontifex quidem Romanus, ut caput sacerdotale, uicarias Christi, ueri capitis, partes gerit: reliqui uero, ut reliqua membra. at Cæsarem, ut caput regale, Christi etiam uicarias partes agere, recte dicere possumus. nec enim simplex potestas Christo fuit data: sed, ut Sacerdos, sic etiam Rex & dicebatur, & erat. Rex quidem ab initio fuit, ut Dei filius. ut hominem autem se utranque potestatem accepisse post uictoriam de morte, ipsemet testatur statim post resurrectionem, cum de se dicit:

● Omnis mihi potestas tradita est in cælo, & in terra. in

Matth. 28

O ii utraque

R E G. P O L I

utraque ergo potestate quin suos Christus Vicarios habeat, dubitare non possumus: uicarias autem Christi Regis partes in Conciliis generalibus ad Cæsarem pertinere dicimus.

Q V A E S T I O L X X V I.

Q V A S N A M intelligis esse huiusmodi partes?

R E S P O N S I O.

E A S quidem, quas Christus ipse, dum in terris uersaretur, satis significauit, cum discipulos suos, quos Principes super omnem terram ipse Rex regum, & Dominus dominantium constituerat, sine sacculo, & pera, ac sine ullo humano præsidio mittens, sola auctoritate regia perfecit, ne quid illis, quod ad uitam sustinendam pertinebat, deesset; sicut eorum ad ipsum responsio declarat; cum ab illis quæreret, Quando mihi uos sine sacculo, & pera, nunquid aliquid uobis defuit? responderunt enim, Nihil. Hic ergo Christus satis se Regem etiam terræ ostendit, magis uero, cum populum, se in solitudinē sequentem, & inopia cibi laborantem, non passus est domum inanem redire, sed saturum dimisit: tum uero maxime, cum suos discipulos, calumniis aliorum, & iniuriis, atque uiolentiæ obnoxios, tanquam pusillum gregem, ut ipse eos appellat, ab omnibus his, quàm diu cum illis ut Dominus & Rex eorum uersaretur, semper defendit. in extremo autem uitæ actu, cum ad peragendas Sacerdotis partes ipse se, ut agnus, ad aram duci pateretur; tamen nō sic oblitus est regis suæ potestatis, ut non saluti suorum prospiceret. hanc enim potestatem tum ostendit, cum iis, qui ad se comprehendendum

LUC. 22.

LUC. 12.

hendendum uenerant, dixit: Sinite hos abire: sicque, ut incolumes dimitterentur, effecit. Quòd ergo Christus humanis suorum necessitatibus, quòd existimationi, quòd salutis prospexit, qui omnes erant sacerdotes Domini, in eo sane ipse regiam suam potestatem declarans exemplum omnibus Regibus dedit, quo pacto erga sacerdotes Domini cū in Conciliis generalibus, tum extra Concilia se gerere debeant. has uero partes Constantinus Magnus maxime expressit: qui tales Christi sacerdotes inuenit, quales, Christo in terris uersante, fuerunt, tanquam oues inter lupos. inter medios enim hostes, ab omni humana ope, & præsidio nudos, indigentia oppressos, & omnium calumniis, atque iniuriis obnoxios inuenit, quos ipse, pro Imperatoria potestate, uicarias unici Imperatoris partes gerens, his omnibus malis non solum liberauit, sed dignum sacerdotibus Dei locum, & auctoritatē eis dedit. Idemque, quænam essent partes Imperatoris, uices Christi gerentis, in Conciliis generalibus, maxime in Concilio Niceno declarauit: non tam quidem, cum necessitatibus Sacerdotum abunde subueniret, & salutis eorum, atque incolumitati prospiceret; quæ sane magna erant pietatis eius, & potentix in terris testimonia, & fructus: quàm, cum mutuas eorū accusationes quotidie fere audiens, quæ ad priuatas eorum de priuatis iniuriis querelas pertinebant, quæ facile indicabant, nec satis illos in fide confirmatos, & caritate uacuos, non propterea passus sit se aut e fidei fundamento deturbari, aut caritate spoliari, ut uel ipsos sacerdotes contemneret, uel eorum doctrinam nihili faceret: sed in hoc potentiã suam, a Deo sibi per Christum, & propter Christi gloriam datam, sic

sic exercuit, ut, cum eos in fide debiles inueniret, a qui-
 bus ipse confirmari debuisset, caritate illos uincens, in
 fide confirmarit, ac pacem eam mundo dederit, quæ
 Christi, Domini sui, gloriam, cuius uices regias gere-
 bat, maxime illustrarit. atque hic quidem in hoc uno
 Constantini factò uis omnis regii muneris, Imperatori-
 bus a Deo dati, in Conciliis generalibus est expressa:
 cuius summa hæc est, ut pacem procurent uerbo Dei.
 ob hanc enim causam oramus pro salute omnium, qui
 in sublimitate constituti sunt, ut tranquillam, & quietã
 uitam agamus in omni pietate, ut inquit Apostolus, id
 est ut tranquillum cursum uerbum Dei habeat. de eo-
 rum enim tranquillitate, & quiete eo in loco loquitur
 Apostolus, qui uerbi uel ministri sunt, uel discipuli.
 Quia uero hæc tranquillitas parari non potest, nisi co-
 gnitis prius, deinde examinatis difficultatibus de uer-
 bo fidei, & amotis omnibus contentionibus, idque cõ-
 muni Ecclesiæ consensu: ideo hic primum necessitas
 Concilii generalis existit. et, quia nec in unum locũ co-
 gi Principes pastores Ecclesiæ facile possunt, nisi con-
 sentientibus & Cæsaribus, & Principibus, in quorum re-
 gnis per diuersas prouincias, suas Ecclesias, tanquam
 tot greges, dispersas habent; nec uero coacti diutius se-
 tueri in conuentu possunt, quin plurimis in rebus Prin-
 cipum ope, & auxilio indigeant: ideo hic primum con-
 sensus Cæsarum in celebrandis Conciliis rogari cœptus
 est, & eorum auxilium, ut rite, & ordine, ac sine peri-
 culo, & cum omni securitate omnia fiant, implorari.
 hanc ob causam Siluestri, Pontificis Romani, & Vica-
 rii Christi, hortatu Constantinus Magnus dicitur Epi-
 scopos in Concilium Niceæ indictum per edictum
 suum

1. Tim. 2.

suum uocasse : quibus congregatis , sic ipse Imperator Dei partes erga illos gessit , ut curarit , ne quid illis deesset eorum , quæ ad tuendam uitam necessaria essent ; omniaque eorum securitatē contraria depulerit , & eisdem plane tutos atque securos reddiderit .

QVAESTIO LXXVII.

CHRISTI ne Regis dumtaxat partes Cæsares in Conciliis agunt , an uero etiam Christi pastoris ?

RESPONSIO .

PRÆCIPVE quidem Regis partes agunt : si uero dicere uolumus , Christi etiam pastoris partes eos agere , idem prorsus dicemus . tales enim sunt Reges , quibus Christus suas partes commendat , ut sint iidem pastores : pascunt autem homines iis rebus , quas Christus eorum dispensationi permisit , id est iis , quæ pertinent ad corpus : quæ externa bona uocantur : quibus sustentatur uita corporis : ut sacerdos , qui idem est pastor , iis , quæ pertinent ad uitam spiritus , suum gregem pascit . Huiusmodi igitur pastoris personam gerens , simul cum sacerdote summo , & pastore in Conciliis , Principes , & sacerdotes , tanquam in caulas capita gregis , congregat Imperator . sic enim fecit Constantinus simul cum Siluestro in Nicena synodo . si uero eiusdem exemplo illam potentiam in Conciliis generalibus adhibeant , per quam æmulationes , & contentiones sacerdotum , quæ sæpe in eiusmodi conuentibus publicis grauius erumpere solent , frangere , & mollire possint , ut non modo ipsorum fides , & caritas non lædantur , sed ad ceterorum animos iisdem cōfirmandos ualeant : hic etiam
Christi



Christi sacerdotis partes eos aliquo modo agere, uere dicere possumus.

QVAESTIO LXXVIII.

AN, si sacerdotum, & Regum munera Christi instituto sunt diuisa, nos recte sacerdotis partes Regibus in Conciliis tribuere possumus?

RESPONSIO.

ALIQVAS possumus, & sane debemus: quia sine his illi ne regium quidem munus rite obire possunt, nec uero de regio solum munere hoc dicimus, recte illud aliquas sibi partes sacerdotales adiungere: sed de omni ministerio hominis Christiani plane affirmamus, ut rite fiat, necessarium esse aliquas sacerdotales partes adhibere, sine quibus nemo sane suum munus rite obire potest: quia nemo, nisi his duabus partibus coniunctis, uocationi illi, quæ communis est omnium Christianorum, pie inferuire potest. communis enim uocatio in omnibus, & singulis regiam cum sacerdotali potestatem coniungit, ut ostendunt illa uerba primi Vicarii, sacerdotis Christi, cum omnibus simul fidelibus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium &c. A sacerdotis uero partibus omnes actionū nostrarū initium capimus. et hic quidem primus est actus uitæ Christiani hominis, quæ orditur a sacrificio, & oblatione sui ipsius. ex hac uero oblatione statim nascitur regia, in cuiusque animo se sponte offerentis, occulta potestas: quæ tum demum exit in lucem, cum ad interius donum, & ad interiorē uocationem accedit externum Dei uoluntatis signum, ex hominū consensu datum. quibus
autem

1. Petr. 2.

autem utrunque iam obtigit, ii cum apud Deum, tum apud homines uel Reges, uel Sacerdotes recte & appellantur, & sunt. potestatem enim in alios exercent. at, quibus nulla externa uocatio accedit, si sint ex numero Christianorum, qui suam uocationem sequuntur, ii quidem omnes spiritu Reges sunt, atque etiam Sacerdotes; sed in alios nullam potestatem habent, nisi quatenus priuati monendo, uel obsecrando. Quod ergo pertinet ad id, quod diximus, Constantinum Sacerdotis partes egisse in Concilio Niceno, cum eius admonitionibus Sacerdotes Dei cederent; has quidem partes ut priuatus egit. nec enim externo aliquo signo ad hoc munus uocatus fuit, quemadmodum ad regium & imperatorium, cui necessario adiunctum fuit sacerdotalis uirtutis donum, sine quo regium munus nunquam rite exerceri potest. omnes uero numeros Imperatoris Christiani Constantinus in illo Concilio prorsus impleuit. quo pacto autem Christi uicarias partes precipue gessit, ex his, quae diximus, satis patere arbitramur. Sunt uero illae, quas Carolum V. Imperatorem, religiosissimum Principem, abunde impleturum in hoc, quod eius consensu indictum est, Concilio, eo quidem magis speramus, & expectamus, quo magis eius pietas, nobis per multos annos explorata, hoc nos sperare iubet, & necessitas temporum id maxime flagitat. Haec nunc satis erit in genere de officio Imperatoris in Conciliis generalibus dixisse: de quo, ut locus se offeret, (offeret autem se maxime) ad maiorem eiusdem explicationem sigillatim plura dicemus. Iam uero, cum de personis eorum, qui in omnibus Conciliis interfunt, & praesunt, tam multa dicta sint de causa,

P quae

R E G. P O L I

quæ materiam præbuit conuocandi huius Concilii, quod nunc est in manibus; tempus postulare uidetur, ut aliquid quærentes dicamus.

QVAESTIO LXXIX.

QVIDNAM est, quod materiam, & causam dedit huius Concilii, quod nunc indictum est conuocandi?

R E S P O N S I O.

H A V D simplex quidem causa fuit, sed uaria, & multiplex: quæ tamen tribus illis capitibus, quasi terminis, quibus iam ab aliquot sæculis omnis materia Conciliorum circumscribi solet, satis, qualis sit, explicatur. quorum primum est, quod ad explicationem fidei dogmatum, & ad hæresum extirpationem pertinet: secundum, quod ad collapsam morum disciplinam restituendam: tertium, quod ad confirmandam pacem domesticam inter Principes Christianos spectat; ut externo hosti infideli, Reip. Christianæ perpetuo insidianti, facilius resisti possit. hæc ergo in summa huius Concilii nunc indicti materia dici potest: quæ eo quidem amplior est, quo plures sunt hæreses; quo magis corrupta est morum disciplina; quo perniciosiora sunt intestinorum bellorum semina; quo denique potentior est, ac paratior externus hostis ad inuadendas Christianorum prouincias. ita enim omnia hæc mala his temporibus creuerunt, & graua sunt, ut recte de Ecclesiæ corpore, sic affecto, idem pro maiore ipsius parte dici posse uideatur, quod Esaias, flagella Dei in populum suum explicans, dicebat: Omne caput languidum, & omne cor mærens: a planta pedis usque ad uerticem

Esa. i

uerticem capitis nō est in eo sanitas &c. atque eo quidem hæc necessitatem imponunt grauiſſimam cogendi Concilii generalis, & difficiliorem reddunt de excogitandis remediis deliberationem.

QVAESTIO LXXX.

QVO tandem modo remedia corpori tam grauiſſe affecto ſalutariter adhiberi poſſunt?

RESPONSIO.

E O ſane modo, quo Deus adhibuit uniuerſo humano generi, cum, reſpiciens e cælo, ut inquit Propheta, uidit eum humani generis ſtatum, quem idem Propheta eo loco ſic deſcribit: Omnes declinauerunt: ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, nō eſt uſque ad unum: contritio, & infelicitas in uiis eorum; & uiam pacis non cognouerunt. Hoc ergo primum eſt in modo inueniendi, & adhibendi remedia, ut, qui Dei locum in terris gerunt, Dei etiam oculis populos ſuos his malis oppreſſos aſpiciant; deinde, id faciant, quod Deus ipſe exemplo ſuo faciendū oſtendit, cum genus collapſum inſtaurauit.

Pſal. 13.

QVAESTIO LXXXI.

QVINAM eſt hic modus, quo Deus humanum genus perditum reſtituit, Principibus ipſis populorum imitandus?

RESPONSIO.

ILLE quidem, quem Chriſtus, ſummus & Sacerdos, & Rex, in ſuo exemplo omnes Sacerdotes, & Reges, qui
P ii ſuam,

R E G. P O L I

suam, & populorum salutem quærunt, sequendum docuit, tum cum populorum omnium, qui eius imperio, tanquam summo Regi, & Sacerdoti, subiecti sunt, peccata, tanquam Sacerdos, in se ipse transtulit, & portauit; atque ita Deum patrem homini reconciliauit, ac genus perditum instaurauit.

Q V A E S T I O L X X X I I .

Q U I D ? quæso: an summi huius Sacerdotis, & Regis Vicariis, Pontifici Romano, & Cæsari proponendus est hic modus liberandi populum Christianū a tot malis, quibus propter peccata nunc maxime uexatur; ut Christum imitantes, peccata eius in se ipsi transferant, & pro illis Deum patrē deprecantur? utrum uero hoc exemplum Christi facile est Principibus ad imitandum, an eiusmodi potius, quod omnes humanas uires superet? tantum ne etiam preces Principum ualere existimandum est, ut populis salutem pariant?

R E S P O N S I O .

Heb. 5
Act. 4.
P R E C E S quidem tantum ualent, quantum unici illius deprecatoris, qui semper exauditus fuit pro sua reuerentia, uirtute nituntur. nec enim aliud nomen sub cælo, neque in cælo datum est hominibus, in quo possint salui fieri. Quod uero de imitando hoc exemplo dixi in ferendis peccatis hominum, & hac ratione illis corrigendis; hoc quidem sic intelligo, Principes imitari hoc exemplum posse; non si ipsi super suam innocentiam populorum peccata tanquam onus sumant: hoc enim semel fecit Christus, & solus facere potuit, quia solus erat inter mortuos liber, id est solus inter peccatores

tores iustus : Principes uero cum liberi a peccato non sint, sed iisdem, quibus populus, uinculis peccatorū ligati, atque impediti, onus quidem populi hoc modo ipsi portare minime possunt, neque, hac uia Christi exemplum sequentes, populi peccata portando Deum patrem placare. quare, hac in parte minime eos imitari posse Christi exemplum in placando Deo erga populum, dicimus. uerum ob eam causam hoc exemplum Christi proposuimus, ut intelligant Principes, si summus Rex, & Sacerdos immaculatus, & innocens, non est ipse dedignatus peccatorum populi sui primū ignominiam, deinde etiam poenam subire, cui nunquā peccandi occasionem dederat, sed contra semper beneficiendi : quid ipsis, qui suo exemplo populos sæpe corrumpere, qui eis ansam peccandi sæpe dedere, faciendum sit? quàm minime eos dedignari oportet, pro populi sui salute se reos facere, pro illis deprecari, & illorum peccata in se transferre? præsertim cum nihil sit, quod æque populos ad Deum possit conuertere, & ad fontem gratiæ, atque misericordiæ adducere, quam pœnitentis animi signum, & exemplum in Principe. eo uero magis necessarium duximus, hoc exemplum magni Regis, & Sacerdotis Principibus ad imitandum proponere, quo uehementius omnes homines ab hoc maxime oportuno malorū remedio natura abhorrere solent, ut aliorum peccata in se suscipiant : qui ne sua quidem fateri uolunt, sed in alios potius transferunt, imitantes prima illa humanæ & terrenæ generationis capita, qui primi in mundum peccatum introduxere, & introductum auxere, cum salutarem sui erroris confessionem relinquentes, alter in alterum suum peccatum transtulit,

Gen. 3.

R E G . P O L I

transtulit, uir in mulierem, mulier in serpentem. per hunc autem modum peccatum creuit, & cum peccato omne genus miseræ: a qua nunquam liberari potuimus, donec diuina misericordia hominem nobis dedit, qui idem Deus, & Rex omnium fuit: qui non modo sua in alios non transtulit, ut pote qui ab omni peccato prorsus immunis esset, sed super suam innocentiam uniuersi nostri generis peccata omnia, tanquam ipse omnium reus esset, recepit. ex qua humilitate hoc statim est consecutus, ut omnium saluator esset. Quare hoc exemplum, qua possunt ratione, si imitentur eius Vicarii, Sacerdotes, & Reges, spes quidem maxima ostenditur, eos per uirtutem Regis omnium, cuius uicarias partes agunt, salutis uniuersi populi ministros ad Dei, & Domini sui gloriam futuros. cum uero se reos populi peccatorum facient; uere id quidem ipsi, & iuste sunt facturi, quod Christus fecit pro misericordia; statimq; illis per hanc iustitiam ingressus ad misericordiam patebit. Iustus enim, ut inquit Sapiens, in principio sermonis est sui accusator. Nec uero ullum tot malis, quibus nunc uexatur Ecclesia, ut omnia quærantur, præsentius remedium inueniri potest, quàm in ipso Concilii exordio humilis ipsorum Principum Ecclesiæ, peccatorum confessio, & sui ipsorum accusatio.

Pro. 18.

QVAESTIO LXXXIII.

QUID tandem istuc est, quod ais? an hoc ipse suades? an probas? an, tanquam remedium oportunum tot malis, quibus Ecclesia est oppressa, proponis, ut summus Pontifex, uicarias Christi, summi Sacerdotis, partes agens, qui in omnibus Conciliis, tanquam iudex, corrigendis

corrigen-
dis aliorum erroribus præesse solet , in hoc
Concilio se reum alienorum peccatorum faciat , & iu-
dicio aliorum se subiiciat ?

R E S P O N S I O .

N O N hoc ego quidem suadeo , ut Pontifex iudicio sub-
iiciatur Concilii inquirentis in eum : neque ullo pa-
cto id probo : at nec cuiusvis alterius : uerum , ut sui ip-
sius iudicio subiiciatur , hoc maxime opto , atque ut
etiam in hoc iudicio se ipsum condemnet . hoc enim
solum omni eum iudicio , & diuino , & humano , libe-
rare potest , & eius iudicio in diiudicandis aliorum er-
roribus maiorem uim tribuere . denique , hæc uera est
uia , maximeq; expedita , ad tollenda omnia , quæ nunc
circumstant Ecclesiam , mala , & pericula , atque ad fir-
mam pacem & concordiam statuendam . o , si Pontifex
id ageret , o si Cæsar ; si hanc ingressionem in Conci-
lium ambo facerent ; si hunc primum actum esse uellēt ;
quid non boni sperari posset de eiusmodi Concilio ,
in quo nõ minus certo argumento Spiritus sancti præ-
sentia ad illud gubernandum , fructuoseque , ac saluta-
riter celebrandum adesse cognosceretur , quàm si in
specie columbæ , uel super Sacerdotum capita in lin-
guis igneis sese ostenderet . nec enim alia uirtus , quàm
Spiritus sancti , talem conuersionem animorum face-
re posset : cuius prima semper actio hæc est , cum mun-
dum reformare statuit , ut mundum de peccato con-
demnet . qui uero hanc ab eo condemnationem humi-
li animo suscipiunt , salutem ab eius misericordia simul
suscipiunt . Quare , ut diximus , in Concilio , quod sa-
lutis omnium causa cogitur , aptissimum hoc erit prin-
cipium ,

cipium, quod quidem principium eiusmodi Concilio, in quo pax, & salus omnium quaeritur, egregie conuenit. ubi enim nullum in Principibus signum pœnitentiæ ostenditur; parua quidem spes esse potest, per eorum ministerium Deum in populo pacem, & salutem efficere uelle; sed potius timeri debet, ne illis tanquam flagellis utatur ad Ecclesiam grauius affligendam. dicit autem ipse Spiritus, Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & contritum, & timentem uerba mea? Denique, si Concilium reformationis Ecclesiæ causa, ut uno uerbo omnia complectar, indictum sit, tam in capite, quàm in membris: si, reformare, non aliud sit, quàm uel doctrinam, uel mores ad pristinam formam, a qua sunt dilapsi, reuocare: cum hac ratione formandæ Ecclesiæ usum uideamus primum ipsius fundatorem, & formatorem, ut per pœnitentiam, quæ ad omne genus hominum pertinebat, ueram formam induceret: eandem sane uidetur ab omnibus sequendam esse, præsertim ab iis, qui illius locum tenent, si reformare Ecclesiam uelint. Vtile ergo quammaxime erit, incipere a pœnitentia Capitem: qua quidem audita, reliqua mox membra, atque ea primum, quæ interfunt in Concilio, deinde populi, & nationes omnes ad eandem imitandam alacrius excitantur. quale uero tandem esset hoc Concilium, quàm sanctum, quàm gloriosum, quàm non modo Niceno, aut reliquis subsequentiis, sed ipsi quoque Hierosolymitano, in quo Apostoli ipsi interfuerunt, fere comparandum, atque etiam, quanto maior esset omnium ordinum, & pœnitentium numerus, quodam modo anteponendum? Quòd si super uno peccatore, pœnitentiam agente, teste ipso Ecclesiæ capite,

Esa. 66.

Marc. 1.

Luc. 15.

Capite, ac Domino, Angeli in cælis gaudent: quanto maiorem noui gaudii materiam uniuersum corpus Ecclesiæ pænitens, quæ creuit tanquam arena maris, Angelis ipsis daret, ut iterum atque iterum id canerent, quod in Christi natiuitate cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax? Hoc uero omnes sperare, & expectare maxime possumus, si Capita ipsa primum uirtute Spiritus in Concilium per hanc portam ingrediantur. est enim illa, per quam solam intrat, qui in omnibus Conciliis primo loco uocatur hymno illo decantato, cuius initium est, Veni creator Spiritus &c. a quo omnia Concilia consueto Ecclesiæ more exordium ducunt. Frustra autem, quatenus ad singulorum salutem spectat, is uocatur, non patefacta confessionis iniustitiæ nostræ porta: quæ eadem est porta pænitiæ. hac enim clausa, excluditur a nobis Dei misericordia, sine qua nihil nec salutariter concipi, nec uerbo, aut opere ad Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem perfici unquam potest.

Luc. 2.

QVAESTIO LXXXIIII.

QVA re maxime niti debet Legatorum Sedis Apostolicæ spes de fructu, & prospero euentu Concilii?

RESPONSIO.

PROMISSIS quidem, & uerbis omnibus Christi, ipsius Ecclesiæ fundatoris, præcipue uero illis, quibus ad ipsum suum Vicarium, Sedis Apostolicæ præsidem, usus est, cum ei futuras Ecclesiæ procellas, tanquam nauis tempestatibus iactandæ, prædicens, sic eum alloquitur nomine appellans: Simon, ecce Satanas expetiuit

Q uos,

uos, ut cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogavi, ne deficiat fides tua. His enim uerbis ostendit fontem, & summam omnium Ecclesiæ calamitatum, & perturbationum, quæ initium habent a uoto Satanæ, Christi Ecclesiã cribrare, & quassare expetentis. hinc enim hærefes, hinc schimata, hinc omnia, quæ Ecclesiam unquam turbauere, mala: quæ eò semper spectant, ut Petri fidem turbent; qua subuersa, Ecclesia simul, tanquam nauis quædam fluctibus, obruatur, atque depri-matur. contra uero hoc tantum periculum, quod innumerabilibus modis a Satana intentatur, unum dumtaxat remedium suã Christus orationem, tanquam anchoram firmam, dedit, ut uerba eius ostendunt, cum ad superiora, in quibus periculum ostendit, consolationem adiungens dicit: Ego autem pro te rogavi, ne deficiat fides tua. hæc ergo illa est firma anchora, quæ nullis tempestatibus moueri potest: qua spes Legatorum Sedis Petri niti debet in omnibus conuentibus & publicis, & priuatis, si optatum exitum ad honorẽ Christi, & Ecclesiæ utilitatem consecutura sit. hæc enim spes neminem fallit. quid est enim, quod eius preces non sint impetraturæ, cuius potentia facta sunt omnia, qui semper exauditus est pro sua reuerentia? & sane, cum ille Dominus omnium, ut tueretur Ecclesiam, quam ipse fundauit, ad orationem, tanquam ad unicum remedium, confugit; idem nos, quò confugere debeamus in omnibus periculis, aperte docuit, nempe ad orationem in Christi nomine & Spiritu adhibitam, nõ ad uires ingenii, non ad prudentiam carnis, quæ inimica est Deo, non ad potentiam hominũ, quibus maxime cõfidere homines solent. hoc sane remediũ illud est,

quod

Heb. 5.

Rom. 8.

quod omnia subsidia, siue diuina, siue humana, ad se trahit, omnibusq; uim suam salutarē infundit, ac tandem salutariter seruire Ecclesiæ omnia cogit. Quare ad hoc semper respicere debent Sedis Apostolicæ Legati, qui pro bono Ecclesiæ in Conciliis præfunt, fructumq; ex iis sperant, si spe sua fraudari nolint. reliqua enim remedia sine hoc debilia sunt, cum hoc possunt omnia. cum uero dico, in robore, & ui orationis Christi omnem spem Legatis de bono Ecclesiæ, & fructu Concilii reponendam esse; ipsorum orationem non excludo, uerum necessario adiungendam intelligo. non enim Christus suam nobis orationem in omnibus periculis ad spem solam præsidii, sed maxime etiam ad imitationem tanquam exemplum proposuit. nam, si Dominus precibus ad impetranda bona nostra utitur: quanto magis nos serui, assidui in iisdem, & maxime supplices esse debemus? uerum, ut Dominus, & seruus inter se infinito interuallo distant, ac differunt: sic utriusque orationis forma, & modus maxime inter se differre debet.

QVAESTIO LXXXV.

QVALES debent esse orationes seruorum Christi? & qua in re intelligis diuersam esse oportere formam orationis Christi, & seruorum eius?

RESPONSIO.

IN hac quidem, quòd oratio Christi iustitia semper nititur, & ideo in sua ille oratione patris iustitiam imporat, sua merita allegat, & per hæc nobis omnia pro iustitia impetrat: nostra uero oratio audere non potest, nec fane debet, iustitiæ mentionem facere, nisi cum ad

Ioan. 17.

Q ii Christum

R E G . P O L I

Christum respicit; sed, misericordia nitatur, oportet, quæ confessione peccatorum imploranda est. Et ideo Christus semper pro sua reuerentia est exauditus: nos nunquam exaudimur pro nostra, ab ipsius Christi iustitia separata, quippe qui propter summam nostram infirmitatem, atque iniustitiam, ne misericordiæ quidem Dei mentionem facere auderemus, nisi reuerentia Christi nobis animos daret, nosque orare iuberet. Qualem uero esse oporteat orationem omnium seruorum Christi, præcipue autem hoc tempore Legatorum Sedis Apostolicæ, exemplum sane orationis Danielis Prophetæ, quod in Scriptura extat, maxime docere potest. quam nobis quidem, exemplo alienæ orationis utentibus, illud maxime cauendum est, ne Spiritui sancto mendaces simus.

Q V A E S T I O L X X X V I .

C V R hoc nunc ita mones?

R E S P O N S I O .

O B hanc sane causam, quia in omni orationis genere, præcipue uero in ea, quæ habetur ad Deum, hoc in primis obseruare oportet, ut mens orantium orationi respondeat, si mendaces esse nolumus. quòd si, mentiri, turpe, & periculosum est, propter Dei offensionem, etiam apud homines: quanto id turpius erit, & periculosius apud Deum, cum longe maius, & impudentius, peccatum sit, Deo mentiri, qui nouit, & uidet corda omnium, quàm hominibus? quare nunc, cum uellem exemplum proponere precum Danielis, quod imitentur Legati, admonendum duxi, hanc formam illis

recte

recte conuenire, si formam spiritus Danielis habeant. nec uero hoc præscribo, ut tanto spiritu præditi sint, quanto fuit Daniel, sed in desiderio saltem ei dispares ne sint, qui uir desideriorum ab Angelo est appellatus. uiri ergo desideriorum sint, oportet, Legati, ut illis oratio Danielis conueniat. uiros autem desideriorum appello, qui ex animo honoré Dei desiderant, & liberationem populi Dei e laqueis Satanæ, a quo captiuus tenetur: ut olim Daniel liberationem ueteris populi, apud Babylo- nis Regem seruientis, desiderauit: qui sane ob preces, uim eius desiderii exprimentes, uir desideriorum ab Angelo est appellatus. de Legatorum igitur precibus, quibus uti in inchoando Concilio debent, ut conclu- damus, sic prorsus dicimus; si cum Daniele uere atque ex animo desiderent populi salutem, ac liberationem e laqueis Satanæ, & aduentum spiritus Christi ad in- stauranda omnia, sic eis maxime illius uerba conueni- re. talibus enim, hoc spiritu præditis, in Scriptura tan- quam præclarum aliquod exemplar orandi ipsa Danie- lis oratio est proposita. si uero suum potius honorem, quàm Dei, si suum magis, quàm populi Dei, commo- dum desiderent; caueant in primis, ne uerbis Danie- lis, uel aliis similibus utantur; caueant, si spiritus aduentum non desiderant, ne cantent, quod primo loco in inchoan- dis Conciliis cani solet, Veni creator Spiritus &c. ne forte non creator, non consolator Spiritus, sed destru- ctor, & exterminator ueniat. talem enim mittere sem- per solet Deus iis, qui ficto corde eum inuocant, nem- pe mendacibus mendacem, & destructoribus destru- ctorem. Si uero Legati, ut sane dubitandum non est, aduentum Spiritus uere, atque ex animo desiderant;

fi

Dan. 9.

3. Reg. 22.
1. Cor. 10.

Dan. 9

fi saltem concupiscunt, ut desiderent: tum quidem Danielis oratione, qua utantur ante hymnum inuocantē Spiritum creatorem, nullum aptius exemplum proponi posse censemus. in illa enim precatione sub typo exprimuntur omnia, quæ in hoc rerum statu Ecclesia nunc experitur: rebus certe, & personis uerba ipsa mirum in modum conueniunt. Quare, concludens ea, quæ a me generatim dici possint de officio Legatorum, cum ceteris in rebus, tum uero in hac ipsa precandi forma, a qua exordium Concilium capere debeat; precationem ipsam Danielis, in Scriptura traditam, totidem uerbis hoc loco adscribendam iudicauit. Et orauit, inquit Daniel, Dominum, Deum meum, & confessus, & dixi: Obsecro Domine, Deus magne, & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccauimus: iniquitatem fecimus: impie egimus, & recessimus, & declinauimus a mandatis tuis, ac iudiciis: non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, Principibus nostris, patribus nostris, omniq; populo terræ. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie uiro Iuda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel: iis, qui prope sunt, & iis, qui procul in uniuersis terris, ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te Domine. Nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt: tibi autem Domino, Deo nostro, misericordia, & propitiatio, quia recessimus a te, & non audiuius uocem Domini, Dei nostri, ut ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos Prophetas.

Prophetas . et omnis Israel præuaricati sunt legem tuã :
& declinauerunt, ne audirent uocem tuam : & stillauit
super nos maledictio , & detestatio , quæ scripta est in
libro Moyfi , serui Dei : quia peccauimus ei . & statuit
sermones suos , quos locutus est super nos , & super
Principes nostros , qui iudicauerunt nos , ut super in-
duceret in nos magnum malum , quale nunquam fuit
sub omni cælo , secundum quod factum est in Hierusa-
lem , sicut scriptum est in lege Moyfi , omne malum
hoc uenit super nos , & non rogauimus faciem tuam
Domine , Deus noster , ut reuerteremur ab iniquitati-
bus nostris , & cogitaremus ueritatem tuam . et uigila-
uit Dominus super malitiam , & adduxit eã super nos .
iustus Dominus , Deus noster , in omnibus operibus
suis , quæ fecit : non enim audiuius uocem eius ; &
nunc Domine Deus noster : qui eduxisti populum
tuum de terra Aegypti in manu forti , & fecisti tibi
nomen secundum diem hanc . peccauimus : iniqui-
tatem fecimus . Domine , in omnem iustitiam tuam
auertatur obsecro ira tua , & furor tuus a ciuitate tua
Hierusalem , & a monte sancto tuo . propter peccata
enim nostra , & iniquitates patrum nostrorum , Hieru-
salẽ , & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per
circuitum nostrum . Nunc ergo exaudi Deus noster
orationem serui tui , & preces eius ; & ostende faciem
tuam super sanctuarium , quod desertum est , propter
temet ipsum . Inclina Deus meus aurem tuam , & audi :
aperi oculos tuos , & uide desolationem nostram , & ci-
uitatem , super quam inuocatum est nomen tuũ . neque
enim in iustificationibus nostris prosternimus preces
ante faciem tuam ; sed in miserationibus tuis multis ,
exaudi

R E G. P O L I

exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac ne moreris propter te ipsum Deus meus, quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.

Hæc Daniel in sua precatone: quibus adiungit.

Cumq; adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, ecce uir Gabriel. et quæ sequuntur. quæ etiam ego addenda iudicaui, ut admonerem primum quidem me ipsum, deinde omnes, qui apud Deum pro populi eius calamitatibus sumus deprecaturi, & pro bono publico, ut a nostrorum primum peccatorum confessione precum initium ducamus. nec enim sanctiores sumus Daniele, quem Deus ipse in tribus illis deprecatoribus numerat, quorum preces pro aliis adhibitas apud se plurimum ualuisse ostendit, cum dicit, Si steterint apud me Noe, Iob, & Daniel. Quocirca recte moneri uidentur ii, qui pro populi calamitatibus sunt deprecaturi, ne hac orandi forma, quæ a confessione propriæ iniustitiæ incipit, apud Deum patrem uti erubescant, qua tantus Propheeta est usus: ne forte Christus, per quem omnia bona impetramus, eosdem deprecantes erubescat. Hæc autem orandi forma eo magis uidetur inculcanda, quo certius experientia docti nouimus, quam omne genus hominum a suorum peccatorum confessione natura abhorreat. prompti enim omnes semper sumus uel ad nos ipsos excusandos, uel ad nostra crimina in alios transferenda. quod quidem eo magis timendum est hoc tempore, quod uidemus ipsos Principes in Sacerdotes, hos autem in Principes culpam horum malorum, quibus Ecclesia premitur, deriuare, neminem uero propriam
libenter

Ezech. 14

libenter agnoscere. in qua cōtentione omnium superbissima, ipsique Deo maxime inuisa, si perseueretur; parua quidem spes ullius fructus percipiendi ex hoc Cōcilio esse poterit; ex quo nihil expectari possit, nisi maiorum forsitan perturbationum, & malorum accessio. diu enim duraturas esse, timendum est, contentiones, & in Conciliis, & extra Cōcilia: neque unquam speranda requies a malis, nisi Deus pater per Spiritum suum nos in hoc concordēs primum faciat, ut omnes, & singuli ex corde nos peccatores agnoscamus, & eius generis peccatores esse confiteamur, ut singuli fere singulorum ruinæ simus causa, unusquisque auctor ruinæ proximi sui, & ordo ordinum. in hoc enim si simus concordēs, iam quidem Conciliū utiliter coactum, & apertū esse, iam portam ad ingressum Spiritus patefactā, nunquā dubitabimus dicere, immo ipsum Spiritum sibi portam aperuisse, qui nos etiā in reliquis concordēs faciet, tandemq; lætos ex ipso Cōcilio dimittet. quod ut fiat, ipsum Deum patrem per eius amorem, quē suæ Ecclesiæ uerum caput & præsidem dedit, ut exhiberet eā sibi, tanquam sponsam gloriosam, sine macula, & ruga, prostrati ante tribunal eius misericordiæ supplices oramus, semperq; orabimus. Huic uero Capiti, & spōso Ecclesiæ fit omnis gloria, honor, potestas, & imperiū una cum Patre, & Sancto spiritu per æterna sæcula. Amen.

H A E C habui Reuerendiss. Domini, quæ de negotio, quod mihi commune uobiscum est, omnium illo quidem grauissimo, & amplissimo, generatim ad uos scriberem: partim ut hoc uobis testimonium darem meæ uoluntatis, eiusque desiderii, quo mirifice teneor, in

R tam

tam præclara causa, & societate duorum præstantiũ pietate, & doctrina hominum, eius pietati inseruiendi, qui Christi uicarium in Ecclesia munus gerens, coniunctim nobis suas partes in tam sancto munere dedit: partim quia in iis, quæ communi consensu sunt peragenda, & uarias interpretationes recipiunt, oportunum esse iudicavi, meum uobis sensum nunc quammaxime aperire, & declarare. quod ut efficerem, quantum uerbis consequi potui, elaboravi. etsi uero in omnibus cum studium meum, & desiderium, tum uero operam a uobis probari exopto: tamen alterum horum eiusmodi est, ut in eo semper a uobis probari me, in altero nõ tam probari, quàm, in quo minus uobis satisfaciam, ab eisdem admoneri, & corrigi cupiam. hoc enim est, ut initio dixi, quod a uestra pietate, & doctrina in primis exopto. si uero præter ea, quæ hæcenus scripsi, maior adhuc meæ sententiæ explicatio requiratur, præsertim in præcipuis capitibus illis, quæ totam fere materiam Concilii, quod nunc indictum est, continet, quorum unum est, de modo reconciliandi Germaniæ populos, qui Lutherani uocantur, olim nobis amore, & obedientia, atque omni religionis iure cõiunctissimos, nunc autem, quod ipsi aperte profitentur, maxime disiunctos, & rebelles; alterum, quo pacto ipsius Ecclesiæ præcipua, uel potius omnia fere membra ad ueterem disciplinam, & instituta, a quibus non parum declinarunt, reuocentur. quæ sane duo non inficior eiusmodi esse, ut multo maiorem, & certiore explanationem requirant, quàm hæcenus in iis, quæ generatim scripsi, complecti potuerim: hoc scitote me, cum illas generales quæstiones tractarem, de quibus supra scripsi,

scripsi, non tam quidem illud spectasse, ut in iis, quæ sigillatim in Concilio sunt examinanda, meum uobis sensum explicarem, quàm ut, qua porta ingrediendum sit ad ea tractanda, inuestigarẽ. quòd si, quæ huc pertinent, a meq; scripta sunt, uobis probabuntur: quin ea simul facile pateant, quæ ad explicationem eorum desiderantur, quæ post ingressum in Concilium examinanda sunt, haud sane dubito. hæc enim ex illis, tanquã conclusiones ex principiis, pendent, & in iisdẽ latent. nec uero ita sunt abscondita, ut ab eo, qui principia probarit, nõ facile eruantur. in quo tamen si a uobis operam meam requiri cognouero, non recusabo de his agere, præcipue uero de illis duabus quæstionibus, quas modo proposui. quæ sane & maximæ sunt; & bene explicatæ, ac perceptæ, eam cognitionem, quæ necessaria est ad id, quod erit agendum, allaturæ sunt. Quod uero nunquam mihi ipse adhuc imperare potui, ut de eiusmodi rebus scriberem, præsertim quæ in alienas manus uenirent: (nec enim id, cū multi amici me admodum rogarent, ulli unquam concessi) hoc nunc ultro uobis offero. quod ut facerem, adductus sum nõ solum officio, quo ualde tamen impellor, sed ea maxime spe, quã mihi affert nostra hæc uoluntatum coniunctio, quam in omnibus, quæ post meum ad uos aduentum una tractauimus, magna cum animi mei uoluptate sum expertus. hæc uero est, quæ ut perpetuo conseruetur, omni opera est enitendum: atque ut in uniuersum Ecclesiæ corpus eadem in Christo animorum consensus transfundatur, ab ipso Deo pacis per Iesum reconciliatorem in paracleto Spiritu assidue est nobis postulandum. Amen.

R ii

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.

11 3

REGINALDI POLI CARD.

DE BAPTISMO

CONSTANTINI MAGNI

IMPERATORIS.

QVAESTIO.

A N nos tam asseueranter, quæ de Constantini fide, & pietate scribuntur, Siluestri Romani Pontificis pietati, & doctrinæ, qui eum in fide instruxerit, qui sacro fonte tinxerit, qui baptizatum in fide confirmarit, tribuimus, omniaq; eius præclare acta, præsertim illa, quæ ad religionem pertinent, uel in Nicena synodo, uel alias ab eo gesta, ex fonte Conciliorum Siluestri fluxisse affirmamus? quem ne temporibus quidem Constantini fuisse, aliquæ historiæ narrant, magni uero nominis scriptores a Siluestro baptizatum fuisse prorsus negant, in quibus est Eusebius Cæsariensis, celebris sane scriptor, & æqualis illorum temporum, atque adeo ipsius Constantini familiaris. is enim non Romæ, ut Romanæ historiæ omnes, sed Nicomediæ extremo uitæ tempore eum baptizatum fuisse affirmat. Romæ uero a Siluestro minime fuisse baptizatum, quid magis confirmare potest, quàm Constantii, ipsius Constantini filii, locupletissimum testimonium, quod in Actis Liberii, Pontificis Romani, scriptum extat: qui non solum negat patrem suum a Siluestro baptizatum, sed, quia id asseuerasset Liberius, eum exilio

Eusebius lib. 4.
de uita Constantini.

Act. Liberii.
c. 6.

DE BAPTISMO.

exilio multauit. quid igitur? an ullum firmitus argumen-
tum esse potest contra eos, qui a Siluestro baptizatum
Constantinum asserunt, quàm eius filii de patris ba-
ptismo in huius sententiæ assertorem seueræ uindictæ
testimonium?

RESPONSIO.

HISTORIAS quidem de Constantini baptismo dis-
sentire non negamus: quia uero dissentiunt, ut ueritas
intelligatur, ipsorum scriptorum, qui diuersa tradunt,
auctoritas examinanda est, & ponderanda. sunt autem,
qui a Siluestro eum in baptismo Constantini, tum in
Nicena synodo omnem auctoritatem, & ministerium
auferant, Eusebius Cæsariensis, & Zozomenus, ambo
historiæ Ecclesiasticæ scriptores satis nobiles. quid uero
Eusebius sentiat, iam ante dictum est. Zozomenus au-
tem Nicenum Concilium non Siluestro, sed Iulio Ro-
mæ Pontificatum gerente celebratum fuisse scribit. ue-
rum, huic quem opponamus, habemus scriptorem eo
multo celebriorem, & testem locupletiolem, cum ob
sanctitatem, & doctrinam, tum uero, quia ipse magna
pars Concilii Niceni fuit, ipsum magnum Athanasium,
Ecclesiæ Alexandrinæ Archiepiscopum, cum celebra-
retur Nicenū Concilium, Alexandri Diaconum, eius-
dem Ecclesiæ Archiepiscopi, quem pæne auctorem eius
Concilii dicere possumus. huius enim controuersia cū
Arrio & originem, & materiam Cōcilii celebrationi de-
dit. eius ergo Diaconus in illo Concilio cū esset Atha-
nasia, postea successor factus, in epistola quadam ad
Marcum, Romanum Pontificem, de iniuriis Arriano-
rum grauius conquerens, ex hac occasione in Siluestri
mentionem

Lib. 2. hist. trip.
c. 1.

Tom. 1. Conci-
liorū. incipit,
Domino san-
cto.

mentionem incidit. dicit enim, ad ceteras in se iniurias hoc etiam Arrianos addidisse, quòd bibliothecam suam, in qua fuere canones Concilii Niceni, cremassent. hos autem, quia meminerat, ab ipso Concilio Legatis Siluestri Pontificis ad eum perferendos fuisse datos; nec dubitaret, quin in archiuiis Romani Pontificis seruarentur; ideo eosdem descriptos ex illis exemplaribus ad se mitti postulat. hæc in Athanasii litteris, quas communes cum ceteris Aegypti Episcopis ad Marcum dedit, qui Siluestro in Pontificatu successit, scripta habentur. cuius uel unius testimonium satis esse debet ad refellendam Zozomeni sententiam, qui unus, ut uidetur, ad Iulii Pontificatus tempora Niceni Concilii celebrationem transfert. hunc uero redarguit non solum Athanasii testimonium, sed ipsius quoque Concilii Niceni ad ipsum Siluestrum epistola, atque huius ad eandem responsio, item Legatorum in Concilio subscriptiones, denique acta synodi Romanæ ab ipso Siluestro coactæ, in qua omnia Nicenæ synodi decreta comprobauit. omnia uero hæc in uetustissimis Conciliorum libris extant: quæ certissimo argumento concludunt, non solum æqualem illorum temporum Siluestrum fuisse, sed illius quoque absentis auctoritatem tantum apud omnes, qui in eo Concilio interfuerunt, ualuisse, ut non prius sua decreta, licet sanctissima, rata, & firma iudicarent, quàm Siluestri sententia, & iudicio, quòd is Sedem Apostolicam tum obtineret, comprobarentur. hoc enim ipsa uerba epistolæ, quam ad eum hac de causa, omni uerborum honore adhibito, scripserunt, declarant. Hæc autem satis dicta sint, ut tempora temporibus conuenire intelligantur ipsius
Niceni

Tom. I. Conciliorum, incipit
Beatissimo Pa-
pa.

D E B A P T I S M O

Niceni Concilii, Siluestri Pontificis, & Constantini Magni. Si uero iam de baptismo Constantini quærimus, de eius fide, a quonam doctus, & instructus, a quo confirmatus in fide fuerit: hic quidem negare non possumus magni momenti Eusebii sententiam esse debere: qui non solum, ut diximus, æqualis fuit illorum temporum, sed ipse quoque in Concilio Niceno primas partes egit: qui & Episcopali munere, clarus ipse doctrina, tumungebatur; & inter præcipuos Constantini familiares eo in Concilio numerabatur. huius ergo auctoritatem omnibus in rebus, quæ in illo Concilio actæ memorantur, magni momenti esse debere, non negamus: uerum hoc dicimus, multo maioris momenti futuram fuisse, si hoc non constaret, addictum illum ei sententiæ fuisse, quæ in illo Concilio damnata est, & quam in primis auctoritas Siluestri, tum Romani Pontificis, oppugnauit. fuit enim ipse Eusebius sectæ, & opinionis Arrianæ, quæ cum a Nicena synodo, tum uero a Romano Pontifice est damnata, maximus assertor. Nec uero eum suspitione huius impietatis liberat, quòd ipse, post damnatam in Concilio illo Niceno Arrii sententiam, in epistola quadam ad populum Cæsariensem, cui Episcopus præfuit, de fide, quam semper professus, scribens, dicit, se nunquam aliter docuisse, atque in symbolo Nicenæ synodi explicatum: immo hoc ipsum maxime condemnat. quid enim ipse docuerit, quid sentierit, eius scripta, quæ adhuc extant, satis declarant; in quibus apertis uerbis Arrii sententiã cõtra symboli Niceni explicationem sequi se ostendit. uerũ, siue ante Niceni Concilii celebrationẽ scripta fuerunt, siue post, nil prorsus ad causæ eius defensionem facit, cum præsertim
manifeste

Tom. I. Conciliorum incipit,
Arbitramur,
& uos.

manifeste colligatur, eum cum Arrio aliquando sensisse. quòd si ante scripta fuerunt, quàm hoc Cōcilium celebra retur: tum quidem uerum esse non potest, quod ipse in epistola ad Cæsarienses scribit, negans se unquam aliter de fide docuisse, atque symbolum Nicenum præscribat. si uero post illud scripta fuerunt: tum sane grauioris illū erroris hoc ipsum condemnat: siquidem, post promulgatam Concilii sententiam, quam ipse in eodem Concilio tandē probauerat, quam suam fuisse profitebatur, etiā antequam ullum alicuius Concilii de ea re decretum extaret, in contrariā defecerit. Atqui, si quid uerisimilius hac in re, in qua historiæ ipsæ non satis cōueniunt, quærendum nobis erit; si hoc quærendum, quid de sententia Nicenæ Synodi in illa controuersia Alexandri, & Arrii Eusebius senserit; cur tã diuersa scripserit de Constantini baptismo ab iis, quæ in Romanis historiis habentur: hoc quidem ex iis, quæ, uiuente adhuc Constantino, & quæ post eius mortē scripsit Eusebius, maxime probabili cōiectura colligere possumus, eam partem symboli Concilii Niceni, quæ Christū eiusdē substantiæ cum Patre fide tenendum proponit, ab eo nunquam ex animi sententia fuisse probatam, sed, ut posteriora eius scripta satis significant, adductum illum potius auctoritate Constantini, qui illud symbolum fide est amplexus, a quo cum Concilio consentiente non est ausus dissentire, pro tempore assensisse, & suam sententiam, ut potuit, dissimulasse, ac propterea illam epistolam ad suos Cæsarienses scripsisse, in qua quasi inuitus uerba ad sensum decreti Concilii accommodare uidetur. postquam uero Constantino successit Constantius, qui non modo non auersabatur sententiam Arrii, sed ita amplexabatur, ut illam oppugnantes oppugnaret, id quod in Liberii Pontificis ob hanc causam damnatione satis ostendit: hinc quidem Eusebius in

Theodo. lib. I.
c. 21.

S eo

D E B A P T I S M O

eo libro, quem de Constantini uita, ipso Constantio imperante, scripsit, cum ut sibi satisfaceret in ea opinione tuenda, cui tacitus semper adhæserat, tum ut ea scriberet, quæ Principi non ingrata esse cognosceret, audacius quidem se in scribendo effudit, ita ut, de controuersia Arrii, & Alexandri scribens, non dubitaret dicere, parui momenti prorsus eam fuisse, in uerbis dumtaxat positam. Quare, qui hoc ausus est scribere, idque contra iudicium ipsius Niceni Concilii, quod re maximi fundamenti, & qua nulla maior esse poterat, illam controuersiam fuisse iudicauerat, contra etiã iudicium Romani Pontificis, atque hanc sententiam ipsi quoque Constantino tribuere: quid mirum est, si de Constantini baptismi tempore, loco, & ministro diuersa tradat ab iis, quæ in Romanorum Pontificum Actis continentur? cum præsertim sciret, se Principis auribus eodem tempore grata scripturum; id autem tolleret, quod si in animis hominum persuasum maneret, uerisimiliter magnum esset causæ Arrianæ præiudicium allaturum, maxime propter recentem pietatis Constantini memoriam: quem si, sublata omni controuersia, cõstaret in fide Romanæ Ecclesiæ, quæ Arrium damnabat, fuisse baptizatum, hoc quidem maxime causæ eorum obfuturum uidebatur, magnam etiã maculam nomini ipsius Constantii aspersurum, si, quam pater, pietate clarissimus, constanti fama fidem professus fuerat, ipse ab ea defecisse uideretur, & alienam sequi. quæ res effecisse uidetur, ut Constantius ipse, qui in defendendis Arrianis partibus pertinax fuit, tam pertinaciter negaret patrem suum a Siluestro baptizatum, ne patris, in diuersa fide baptizati, summa apud omnes propter pietatis laudẽ auctoritas eius sententiæ, quæ eadem Arrii fuit, pietatis famam detraheret. Habuit ergo causam cum Constantius, tum Eusebius, quæ, illis statuentibus Arrii partes fouere, quasi

Damasus in uita Siluestri.
Gregorius Turon. in historia.

quasi necessitatem imposuit, cur Constantinū a Siluestro baptizatum negarent. Liberius uero Pontifex nullam necessitatem habuit, cur contra filium pernegantem id asseueraret, præter eam, quā ueritas ipsa secum afferre solet: quæ si nulla fuisset, si non certa, & explorata, necessitatem potius habuit mutandæ sententiæ, uel saltem dissimulandæ, ne in Principis indignationem incideret. Quare, quo hæc magis examinentur, quæ de Constantii indignatione aduersus Liberium, affirmantem a Siluestro baptizatū Constantinum, scribuntur; hoc quidem certius inueniemus, hanc ipsam indignationem Constantii magis confirmare ueritatem eorum, quæ in historiis Romanis de Constantii baptismo scribuntur, quàm oppugnare. quanquam quidem, non tã quòd Liberius a Siluestro Constantinum baptizatum, quàm quòd a lepra simul ab eodem curatum diceret, ira incensum Constantium historiæ narrant. nec enim tetrum fortassis lepræ nomē in patre libenter audire potuit. utcunque uero sit, ut hanc etiã causam ad indignationem eius contra Liberium accessisse dicamus, ne ea quidē tanta fuisset, si nulla eiusmodi opinio animos populi prius occupasset. nec enim, si Liberius solus hoc dixisset, tanti sibi æstimandū unquã unius Liberii dictum iudicasset Constantius: quin potius ut insanum contempsisset, si de tanta re, cuius nulla prius apud populū opinio fuisset, cuius ipse testis esse non posset, tam asseueranter contra omnium sententiã, & pæne sensum loqueretur. Hæc uero Constantii indignatio populū ostendit eandē tunc habuisse opinionem: quam opinionem Constantius cum suæ de fide sententiæ, & patris honori, ut ipse putabat, aduersari uideret, ideoq; ex animis hominum deletam summopere desideraret, non poterat nō ægre ferre eã Romani Pontificis auctoritate confirmari. atque hinc nata uidetur omnis illa indi-

Act. Liberii,
c. 6.

S i i gnatio:

D E B A P T I S M O

gnatio : quã, ut uerisimiliter credendum est, nunquã spon-
te subiisset Romanus Pontifex, nisi ipsa explorata ueritate
esset coactus . Si uero uerisimilia sequentes in reliquis , in
quibus historiã secum dissident, quod magis probabile ui-
deatur, sequi uolumus, & hanc ipsã causã subtilius exa-
minare , præsertim in iis, quæ ad Constantini in fide insti-
tutionem pertinent, ut id solum quæramus, a quonam ille
doctus, & instructus , a quonam cõfirmatus in fide fuerit :
ut nulla alia testimonia extarent , præter id unũ, quod mo-
do cõmemorauimus , de Siluestri Pontificatu, æqualis illorum
temporũ ; a quonam potius, quàm ab ipso Romano Ponti-
fice factum hoc dicemus, præsertim cum ex historiis con-
stet , tum primum Constantini animum Christi seruitutis
amore incensum, cum ad Romanam urbem armatus cum
exercitu contra Maxentiũ aduentaret , cum illi , tanquam
alteri Paulo , in uia se Christus ostenderet, non uoce , sed
signis eum appellans. signo enim crucis ei claro cælo osten-
so, fidem eius Christus ad se conuertit . Si uero ipse Pau-
lus Apostolus, quem Christus uoce ad uitam uocauit , ad
alium tamen, qui eundẽ uerbis doceret, quid eum oportere-
ret facere, est amandatus: Cõstantino, quẽ signo ad se Chri-
stus uocauit , præceptorẽ datum , a quo pleniorẽ de Dei
uoluntate cognitionẽ acciperet, est uerisimillimum . quod
enim ex signo cognouerat , de quo in cælo scriptum uide-
rat, *σὶ τὸν κρῖνα*, magis id quidem ad spem uictoriæ in præ-
lio , quod instabat, per fidem potentiæ Christi confirman-
dam pertinebat , quàm ad spem salutis æternæ, quæ maio-
ri in periculo uersabatur , per eundẽ Christum consequen-
dæ . de hac uero si ab aliquo edocendus esset , a quonam
potius , quàm a Romano Pontifice, quẽ historiæ tradunt,
ob persecutionem impii Imperatoris , tum quidem in So-
raçte monte latitasse ? si uero ad pii Imperatoris aduentũ
e lati-

Hist. eccl. lib. 9
c. 9.

Damasus in ui-
ta Siluestri .

elatibulis ad pastoralem curā Urbis sua spōte illum exiisse, uel potius ab ipso Cōstantino, doctore indigente, fuisse euocatum, scriptores tradunt: quid hic non uerisimile narratur? præsertim cum de nullo alio, qui Constantinum mysteriis fidei initiauerit, ne illæ quidē historiæ, quæ tam præclari operis fructum Siluestro adimunt, mentionem faciant. si uero omnes in primo miraculo de signo crucis in cælo conueniunt; hoc enim Eusebius ab ipso Cōstantino se audiuisse etiam iurato scribit: cur non in ceteris Romanis historiis, quæ etiam per uisum reuelatum Constantino tradunt, & quis eum in fide erudiret, & locus, ubi is tum latitaret, fides adhibenda erit? probatæ uero fidei illas historias esse, uel illud satis mihi declarat, quòd Adrianus Papa in quadam epistola, quam ad septimum Conciliū misit, easdem cōmemorat: quæ in Actis illius Cōciliū sunt insertæ, & ab uniuerso Concilio probatæ. Ut uero reliqua omnia scriptorū testimonia deficient, aut minoris momenti ad confirmandam hanc sententiam de Constantini fide, Siluestri opera confirmata, & aucta, existimentur; uel hoc unum sane, quod Romæ adhuc uidemus in magnificis illis templorū ædificiis, ab ipso Constantino erectis, satis declarat, ipsum ad hæc impulsorē antistitē aliquem habuisse. nec enim uerisimile est, hominem semper in armis uersatum, tam magna animo unquam cōplexurum fuisse, quæ suæ religionis & fidei præclarissima monumenta futura essent, nisi prius cōsulto aliquo sacrorū perito antistite, qui eum de fide, deq; omni cultu Dei, & sacrorum more edoceret. si uero ab aliquo edoctus, & institutus Constantinus fuit; a quo potius, quàm a Siluestro, cuius Pontificatus plurimos imperii illius annos est complexus? tradunt enim historiæ, eum, cum imperante Maximino Pontificatum iniisset, paucis annis ante Constantinum Imperatorē, quæ

Eusebius lib. 4.
de uita Con-
stantini.

Hist. trip. lib. 3
c. 12.

Eusebius lib.
1. de uita Con-
stantini.

Nicena syn. 2.
in principio.

D E B A P T I S M O

Damafus in ui-
ta Silueftri.

quæ minimū uiginti duos, aliæ uero uiginti quattuor annos in eo uixiffe. Hic ergo fi in quæftionem ueniat, quo pietatis doctore Cōftantinus fit ufus; fi fcriptores taceant, aut non fatis probent, uel ipfa faxa, tot templorum præclara ædificia, ipfum baptifterium, magnifico opere ædificatum, clamabunt, quacunque ratione ad hæc excitatus fuiffet, præcipuum tamen eorum auctore, quæ Romæ pietatis monumenta funt relicta, ipfum Silueftrum, Pontificē Romanum, eum habuiffe. Quòd fi fcripta etiam uel ipforum Græcorum requirimus, qui Silueftri apud Cōftantinum in rebus religionis auctoritati testimonium præbent: ne hæc quidē defunt. funt uero eorum fcripta, a quorum animis Arriana impietas fuit prorfus depulfa, qui pofterioribus sæculis fcripferunt. Si uero plus auctoritatis Eufebii fcriptis iure tribui debere uideatur, quòd is Cōftantini tempore uixerit: tamen non tam quidem id profuit ad ueritatem cognofcendam, eum Cōftantino familiarem fuiffe, quàm ad eam prodendam obfuit, eundem, Cōftantino fuperftitem factum, Cōftantio, Romanorum Pontificum propter Arrii damnationem inimico, regnante, fcripfiſſe: adeo ut hac in re pofteriorum iudicium, qui cum Romanis hiftoriis cōfentiunt, fincerius uideri debeat: qui fi id uerum iudicaffent, quod Eufebius fcripferat, non inuiti illius ſententiam effent fecuti, cum ea præfertim non parui momenti effe uideretur aduerfus Romani Pontificis dignitatem, quocum de honoris prærogatiua contende- bant. cum uero extent Nicephori Callifti, Theophanis Epifcopi Niceæ, & Georgii Cedreni, & Zonaræ, probatorum apud Græcos fcriptorū, & Theodori Balfamonis Cōftantinopolitani, Diaconi, & Chartophylacis, qui etiã poft aliquot annos Antiochiæ Patriarcha factus eſt, clariffima in fcripturis testimonia cū de baptifmo Cōftantini, mini-
ftro

stro Siluestro celebrato, tum uero de eiusdem erga Romanam Ecclesiã munificentia, quæ fere in omnibus cum Romanorum Pontificum historiis consentiunt: hæc quidem quasi ueritatis testimonia, ab inimicis prolata, firmiora esse debent. inimicos enim, & æmulos Romanorum Pontificum potestatis Græcos, præsertim uero Patriarchas Constantinopolitanos, permultos annos fuisse, satis cõstat, tum uero maxime, cum hi scripserunt. Hæc autem nunc satis sint dicta, si non ad persuadendũ illis, qui contra sentiunt, saltem quæ ostendant, non me leui de causa adductum, ut, quæ a maioribus tradita sunt, uel de cælestibus illis donis per Siluestri ministerium Cõstantino exhibitis, uel de terrenis a Cõstantino Siluestro, & Romanæ Ecclesiæ collatis, tam constanter scriptis asseuerarem.


F I N I S .

Errata .

Pag. 1. b. 1. Cum ii, pro, Cur ii. 6. b. 21. Propriæ, pro, Proprie. 8. b. 27. Quod abiectum perierat, pro, Quod perierat. 10. a. 3. Ab Ezechiel, pro, Ab Ezechiele. 11. b. 3. Implerunt, pro, Impleuit. 16. b. 5. Vicarius, pro, Vicarias. 21. b. 15. Dissensionem, quæ ad religionum, pro, Dissensionum, quæ ad religionem. 28. b. 4. Ideo Spiritus, pro, Idem Spiritus. 32. a. 19. Habuit, pro, Habuerunt. 34. a. 25. Extendens, pro, Extendes. 34. b. 11. Verbis, pro, Urbis. 36. a. 8. Sicut rete, pro, Sic rete. 40. b. 12. Exhereditata, pro, Exheredata. 52. b. 13. Confessus, pro, Confessus sum. 54. b. 4. Possunt, pro, Profunt. 60. b. 23. Semper professus, pro, Semper est professus. 60. b. 25. Synodi explicatum, pro, Synodi est explicatum.

Series chartarum,

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S .



REGIN

aldus

de

Contra
Lio.

12

966